UNIV. OF
TORONTO
LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/scaenicaromana00wage

W15155

Scaenica Romana

SCRIPSIT

IACOBUS VAN WAGENINGEN.

193922
2.2.25

GRONINGAE, IN AEDIBUS HEREDUM P. NOORDHOFF.
ANNO MCMVII.

PRAEFATIO.

In hoc commentariolo, quem inscripsi „Scaenica Romana", omnia quae ad Romanum theatrum et histriones pertinent quaeque usui esse possint praesertim lectoribus fabularum Plauti et Terentii, collegi. Imprimis personarum usum pertractavi atque quo tempore primum ab actoribus Romanis personae adhibitae essent, perscrutari conatus sum. Deinde fusius actorum gestum exposui, nam cum nuper a v. d. Bethio (duce v. d. Scatone de Vries) codex Ambrosianus Terentii apud Sythoffium emissus sit, nunc picturas, quibus codex ille illustratus est, ipsi nostris oculis aspicientes, multo melius, quae Donatus et Quintilianus de actorum gestu tradiderunt, intellegere possumus. Praeterea una cum hoc libello „Album Terentianum" editurus sum, in quo omnes imagines, quas Ambrosianus continet, et paucae aliae ex Parisino sumptae permissu editoris Lugdunensis lithographice expressae sunt.

Non me latet non quaecumque de theatro et scaena disputavi, nova esse vel a me primo prolata, sed quoniam dispersa apud scriptores antiquiores et recentiores iacebant, non ingratus labor mihi visus est ea percensendi et coniungendi et in unum corpusculum redigendi. Postremo moneo lectores me tantummodo passim de tragoedia, plerumque tamen de comoedia egisse, quod de illa iam egregius Ribbeckii liber exstat, quo saepius usus sum, haec vero, quae non per fragmenta, sed per fabulas integras nobis tradita est, iamdiu aliquod opusculum desiderat, quo illustretur.

Restat ut hoc loco Henrico Smit, Gymnasii Groningani conrectori, viro mihi familiarissimo, gratias agam, quod consilio dando et plagulis corrigendis strenue me adiuvit.

J. VAN WAGENINGEN.

CONSPECTUS CAPITUM.

Caput I *de theatro Romano* . . . . . 1—16

a) de pulpito eiusque origine . . . . . 1—5

b) de cavea et scaenae ornamentis . . . . . 5—16

Caput II *de histrionibus* . . . . . 17—64

a) de domino eiusque grege . . . . . 17—18

b) de histrionum partibus . . . . . 18—19

c) de actorum vitae condicione . . . . . 20—24

d) de vita nonnullorum actorum nobilium . . . . . 24—33

e) de personis sive larvis . . . . . 33—41

f) de histrionis vestitu . . . . . 42—49

g) de histrionum gestibus . . . . . 49—61

h) de vocis et tibiarum cantibus . . . . . 62—64

Index nominum et rerum . . . . . 65—67

I. DE THEATRO ROMANO.

a. DE PULPITO EIUSQUE ORIGINE.

Non solum Athenis τὸ δρᾶμα adolevit et perfectum est, sed etiam extra Atticam in insula Sicilia iam Aeschyli aetate ex ludis, qui Bacchi honoris causa celebrabantur, iocularia quaedam exorta sunt, quae imprimis Hesperiae incolis Graecis admodum grata atque accepta fuerunt [1]). Sed saeculo tertio ante Chr. n. *Rhinthon* Tarentinus [2]) a tragoedia Euripidea profectus ex eaque tamquam notissima fabularum forma exempla sibi petens, novum quoddam fabulae genus condidit, quod alii φλύακας alii ἱλαροτραγῳδίαν vocant, quodque proxime accedere videtur ad id poëma, quod nos „parodiam" appellamus. Ad idem autem tempus referendus est numerus satis magnus *vasorum*, quae in Italia inferiore inventa sunt, in quibus expressa est scaena aliqua ex phlyacibus illis, ubi histriones veste prisca et laxa, ventribus prominentibus, longis penibus, larvis distortis ornati mimum agunt in pulpito, ad quod scalae ex orchestra ascensum dant [3]). Quae vasa cum, ut figurae et imagines docent, ab artificibus picta sint, qui ipsi illas

[1]) E. Bethe, Prolegomena zur Geschichte des Theaters im Alterthum, p. 278 sqq.
[2]) Christ, Hist. Litt. Graec. p. 411.
[3]) Wieseler, Theatergebäude und Denkmäler des Bühnenwesens, Tab. IX, 13.

fabulas in scaena agi suis oculis viderunt, haud spernenda sunt iis qui explorant, quali in *pulpito* illa Rhinthonis hilarotragoedia acta sit. In uno autem ex illis ante pulpitum homines depicti sunt, quorum altitudinem cum pulpito si compares, apparet id non plus pedes quinque altum fuisse, quae altitudo cum pulpito Romano, quale Vitruvius descripsit [1]), plane convenit, sed a Graeco, velut in theatro Epidauri, differt, quod paene ter tanto altius erat. Neque illius pulpiti, ex tabulis et trabibus nulla cum arte constructi, *scalae* omittendae sunt, quae unicum commeatum inter caveam et scaenam praebent; aliter enim ad ipsum pulpitum perveniri non posse videtur nisi per eas. Iam statim nos movet, quod in theatro Pompeiis effosso atque patefacto, quod auctore Mavio [2]) non Graeco sed Osco more putatur esse constructum, èt binae scalae cernuntur, quae orchestram cum pulpito iungunt, èt pulpitum eiusdem fere altitudinis est, quae in theatris Magnae Graeciae et Romanis valuit [3]). Verum tamen non solum altitudine pulpiti et scalis adiunctis theatra Magnae Graeciae et Campana inter se similia erant, sed etiam inter fabulas, quae in utrisque agebantur, necessitudo aliqua et vinculum intercedebat. Quod ut demonstremus, res paulo altius nobis repetenda est.

Nolae autem, in oppido Campaniae, urceus inventus est, in quo *φλύαξ* (homo) sive sannio depictus est, veste usitata et larva indutus, lituo nixus iuxta aram stans, supra quam figuram

---

[1]) Vitruvius V 6, 2; Bethe p. 286, 305.
[2]) Overbeck-Mau, Pompeii [4], p. 156 sqq.
[3]) Bethe p. 305.

βουστροφηδὸν Osce inscriptum est nomen servi „Santia" h. e. Xanthias [1]), quae persona est vulgaris et frequens in hilarotragoedia. Ex hac figura et inscriptione iure Bethius conclusit hoc genus fabularum, sc. *φλυάκων*, ex Magna Graecia in Campaniam importatum ibique ab Oscis receptum et cultum esse. Neque desunt testes locupletes [2]), qui Romanos lepidum illud et ioculare genus fabularum, quae appellantur *Atellanae*, ab Oscis sumpsisse affirment, quod quamvis a Mommseno [3]) addubitatum, hodie tamen a nullo scriptore historiae litterarum Romanarum negatur. Itaque ultro quaestio oritur, sintne Atellanae illae et *φλύακες* inter se cognata. Atellanarum autem, quarum indolem ac naturam ex Pomponii et Novii fragmentis satis novimus, duo genera distinguuntur, quorum alterum personas certas, velut *Maccum*, *Bucconem*, *Pappum* (qui ab Oscis *Casnar* appellabatur), *Dossennum* et homines loco inferiore natos, ut agricolas, fullones, medicos, vates, milites in scaenam prodeuntes praebebat, alterum tragoediam in iocos et risus obscenos deflectebat, qua de re et versus Iuvenalis [4]) et nonnulli tituli fabularum Pomponii et Novii [5]) nos certiores faciunt. Eodem modo diversa sunt phlyacum argumenta, nam partim mimis similes sunt et in iis res ridiculae tractantur, partim tragoedia aliqua deridetur. Itaque non sine causa suspicamur

[1]) Wieseler, Tab. IX, 10.

[2]) Bethe, p. 296, qui Strabonem V 233 laudat, unde Atellanas etiam aetate imperatoria quibusdam ludis Osca dialecto actas esse apparet.

[3]) R. G. II[8] p. 438, annot.

[4]) Iuv. VI 71: Urbicus exodio risum movet Atellanae
gestibus Autonoes.

[5]) Hi tituli sunt: Agamemno suppositus, Armorum iudicium, Marsyas, Hercules coactor, Phoenissae.

Atellanam mythologicam, ut ita dicam, ex Osca illa fabula natam esse, et quod attinet ad alterum genus magis comicum, id quoque cum phlyace cohaerere veri simile est, nam et in Atellana stabiles illas et certas personas, ut Maccum, Bucconem ceterosque non statim ab initio Latinorum poetarum ingenio generatas, sed paulatim arte creatas putandum est, nec desunt in phlyace personae, quae cum Atellanarum personis conferri possint, ut Xanthias. Accedit quod non modo in phlyace, sed etiam in Atellana actores semper larvis usi sunt [1]), Bucco autem ventre crasso et Dossennus dorso fulto phlyacum histrionibus similes sunt et unus et alter iocus in Pomponii fragmentis [2]) suspicionem movet ne Atellanarum quidem actores phallo caruisse.

Quoniam rebus tam multis argumenta phlyacum et Atellanarum inter se congruunt, facile adducimur, ut una cum illis fabulis etiam pulpitum, in quo agebantur, ex Campania Romam invectum esse putemus, praesertim cum non solum altitudo pulpiti Campani, Pompeiani, Romani eadem sit, ut supra demonstratum est, sed etiam vestigia illarum scalarum in ruderibus theatrorum Tusculi et Faleriae in agro Piceno alibique [3]) reperta sint. Neque postea Romae in theatro scalae aberant. Iis enim usus „Decimus Laberius, eques Romanus, cum mimum suum egisset, sessum in quattuordecim e scaena per orchestram transiit" [4]), atque per easdem

---

[1]) Festus s. v. personata p. 217 M., p. 268 Th. d. P.
[2]) Fr. 67 (R.) [ei] perii! non puellula est. numquid [nam] abscondidisti inter nates?
[3]) Bethe, p. 306; Wieseler, Tab. II, 11; 15.
[4]) Suet. Caes. 39.

magistratus, qui ludos edebant, vel eorum apparitores ad scaenam se conferre poterant [1]).

In ipsa scaena olim neque fores erant neque ulla ornamenta, sed postquam Livius Andronicus et Plautus fabulas Graecas Latine versas docuerunt, iam non simplex ille apparatus scaenicus sufficiebat, quamquam ipsum pulpitum satis latum erat, ut omnes comoediae vel tragoediae actores contineret [2]), sed et foribus in posteriore parte pulpiti et pluribus ornamentis opus erat ad fabulas rite edendas. Nam etsi in Plauti et Terentii comoediis pleraque in via ante domum aguntur, tamen iam in illius comoediis loci nonnulli [3]) probant spectatores in interiorem domum potuisse introspicere, ut, quae ibi agerentur, cernerent. Sed de scaena mutata eiusque ornamentis melius disseremus, si prius de altera theatri parte (cavea) pauca disputaverimus.

b. DE CAVEA ET SCAENAE ORNAMENTIS.

Etsi Romae, postquam a^0 194 a. Chr. n. Megalesia quoque scaenici facti sunt ludi [4]) atque omnino numerus ludorum tam

---

[1]) Polyb. 30, 13 (14).

[2]) Vitruv. V 6, 2: „ita latius factum fuerit pulpitum quam Graecorum, quod omnes artifices in scaena dant operam, in orchestra autem senatorum sunt sedibus loca designata, et eius pulpiti altitudo sit ne plus pedum quinque, uti qui in orchestra sederint, spectare possint omnium agentium gestus."

[3]) Stich. 88, Most. 157.

[4]) Liv. XXXIV 54, 3. Praeter Megalesia, quae m. Aprili ab aed. cur. edebantur, Romani quoque ludi inde ab a^0 240 scaenici erant, qui celebrabantur m. Septembri ab aed. cur. editi, plebeii ab a^0 220, m. Novembri ab aed. pleb. dati, Apollinares statim ab a^0 212, quibus m. Quintili praet. urb. praeerat, sed Floralibus (m. Aprili et Maio) soli mimi in scaenam proferebantur.

instaurationibus quam funeribus aliisque caerimoniis admodum crevit, interdum factum est, ut Roscius comoedus diebus CXXV unius anni in scaenam prodiret [1]), tamen ea pars senatus populique Romani, quae vetera retinendi cupida erat, diu ac pertinaciter adversata est, quominus aliquod theatrum firmum et mansurum aedificaretur. Metuebat enim, ne cives „delicatae illi insaniae" [2]) nimis servientes, si considerent in theatro, dies totos ignavia continuarent et effeminarentur [3]). Itaque non est, quod miremur „spectaculorum antiquitatem" diu esse servatam atque „subitariis gradibus et scaena in tempus structa ludos edi solitos." Verum antiquissimis temporibus ne gradus quidem erant, sed ante pulpitum in spatio semicirculato (*cavea*), quod tabulis saeptum in collem acclivem patebat, sine discrimine spectatores *stabant*, vel si tanti erat, sellas conducere et in theatro ponere licebat. Solis iis magistratibus, qui ludis praeerant, prope scaenam tribunal erat, in quo sederent, sed ceteris magistratibus, senatoribus sacerdotibusque olim non certae sedes in theatro attributae erant (in promiscuo enim spectabant); honoris tamen causa iis plebs *prima cavea* vel *orchestra*, ut Graeci dicunt, cessisse videtur, ubi magistratibus lictores sellas curules, ceteris servi alia subsellia ponebant [4]). Quod autem moribus et usu valebat, id mox lege vel imperio sanctum est, nam auctore P. Scipione consule

---

[1]) Plin. n. h. VII 39, 128; Mommsen CIL I p. 377.

[2]) Aug. de civ. dei I 32.

[3]) Tac. ann. XIV 20.

[4]) Ribbeck, Röm. Trag. p. 76; Mommsen R. S. III, 2, p. 893; Val. Max. IV 5, 1: „numquam tamen quisquam ex plebe ante patres conscriptos in theatro spectare sustinuit: adeo circumspecta nostrae civitatis verecundia fuit." Plut. Cat. mai. 17; Flam. 19.

a° 194 a. Chr. n. Sex. Aelius Paetus et C. Cornelius Cethegus censores ludis Romanis [1]) A. Atilio Serrano et L. Scribonio Liboni aedilibus curulibus imperarunt, ut loca senatoria secernerent a populo. Tradit sane Livius homines questos esse, quod immisceri sibi in cavea patres plebem nollent, ipsumque Africanum paenituisse, quod senatores secerni a cetero consessu passus esset, sed institutum mansit retinebantque etiam aetate imperatoria patres sedem in orchestra, ubi legatos exterarum gentium ad se sessum recipiebant [2]).

Deinde alia res nova in rebus scaenicis a M. Aemilo Lepido censore a° 179 introducta est. Is enim „theatrum" et „proscaenium", h. e. caveam et pulpitum, ad Apollinis aedem struenda locavit [3]), quae tamen paulo post destructa esse videntur, nam iam a° 174 Q. Fulvius Flaccus et A. Postumius Albinus censores „scaenam aedilibus praetoribusque praebendam" curaverunt [4]), ita ut illi magistratus in posterum scaena publice parata uti possent, neque quicquam aliud iis instruendum esset nisi cavea. Sed sitne reapse haec scaena aedificata et si aedificata sit, quamdiu manserit, ignoramus. Certe constat a° 154 a. Chr. n. Valerium Messallam et Cassium Longinum censores „a Lupercali in Palatium versus"

---

[1]) Liv. XXXIV 44, 5; 54, 3 sqq.; Val. Ant. apud Ascon. in Cic. Corn. p. 61 (69). At Cic. har. resp. 12, 24 et Val. Max. II 4, 3 hoc non ludis Romanis', sed Megalensibus huius anni factum esse tradunt; Livio tamen eiusque auctori magis credendum est, quod veri similius est amplissimo ordini honorem novum esse tributum prius in ludis, qui tribus dis Capitolinis consecrati essent, quam in ludis peregrinae deae dedicatis.

[2]) Tac. ann. XIII 54.

[3]) Liv. XXXX 51, 3.

[4]) Liv. XXXXI 27, 5; Mommsenus R. G. II p. 442 annot. iam hoc anno usum personarum introductum esse putat, sed cf. quae de hac quaestione disputavimus in cap. II.

(ubi Megalesia celebrabantur) theatrum facere instituisse, „ceterum auctore P. Scipione Nasica, superioris anni consule, omnem apparatum operis eorum subiectum hastae venisse atque etiam senatusconsulto cautum esse, ne quis in urbe propiusve passus mille subsellia posuisse sedensve ludos spectare vellet; ut scilicet, inquit Valerius Maximus, remissioni animorum iuncta standi virilitas propria Romanae gentis nota esset" [1]). Ita enim ii, qui a spectaculorum oblectamentis abhorrebant, èt virorum cupiditatem tragoedias comoediasque spectandi coerceri èt feminas deterreri posse, quominus theatrum adirent, sperabant. Sed quid leges sine moribus vanae proficiunt? Aliquamdiu senatusconsulto obtemperabatur, verum cum L. Mummius Corintho deleta Romam revertisset (a° 145 a. Chr. n.), ludos triumphales sumptuose splendideque edidit et primus „Graecum genus spectaculi in urbe" praebuit. Quod ita intellegendum est, ut ille et scaenam magnifice ornaverit et sedes gradatim surgentes spectatoribus dederit [2]). Sed ludis peractis theatrum ligneum rursus destructum esse videtur. Ita paene singulis annis vel consurgebat vel destruebatur.

Interea plus decem annis post Mummii ludos novam rem a C. Graccho institutam esse non sine causa conicimus. A rerum scriptoribus licet id non diserte traditum sit, tamen multa nos adducunt, ut illum equitibus Romanis *quattuordecim gradus* sive *ordines* orchestrae proximos assignasse arbitremur. Quae coniectura si vera est, hoc beneficium rursus equitibus a Sulla ereptum esse

---

[1]) Val. Max. II 4, 2; Vell. I 15, 3; Liv. Per. 48; App. b. c. I 28; Aug. de civ. dei I 31; Oros. IV 21; Tac. ann. XIV 20.

[2]) Ritschl, Parerga p. 226 sqq.

probabile est. Nam cum Cicero, Asconius, Velleius de *lege Roscia* agunt, qua illud ius praecipuum in quattuordecim spectandi equitibus a° 67 a. Chr. n. sanctum est, plane dicunt L. Roscium Othonem hunc honorem equestri ordini *restituisse*, ex cuius verbi usu effici licet a Roscio esse redditum, quod iam aliquando datum, sed ademptum esset [1]). Et ex omnibus rebus his temporibus peractis perspicuum est nullius magis fuisse favere equitibus quam Gracchi, nullius contra eorum dignitati nocere quam Sullae. Quare Roscium non novam legem tulisse credibile est. Sed nihilominus plebs aegre tulit illum ordinem sibi praelatum esse, et cum auctor legis ludis Apollinaribus a° 63 praetor theatrum intrasset, ab equitibus laeto clamore exceptus, a plebe exsibilatus est, neque multum aberat, quin res ad manus veniret, sed Cicero consul tumultu audito plebem in contionem ad templum Bellonae avocatam ita placavit, ut mox in theatrum reversa Othoni fauste acclamaret et cum equitibus de eo honorando certaret [2]). Inde ab hoc tempore ordinum discrimen in theatro Romano mansit.

Tota autem cavea pro magnitudine theatri ex uno vel duobus vel tribus tabulatis [3]) constabat, quae *praecinctionibus* sive *balteis* separata et in quinos vel septenos *cuneos* [4]) divisa erant, inter quos

---

[1]) Cic. Mur. 19, 40; Vell. II 32, 3; Asc. p. 79 Or.; Liv. Per. 99; Tac. ann. XV 32; Plut. Cic. 13. *Decoctores* tamen separatim sedebant, Cic. Phil. II, 18.

[2]) Macr. Sat. III 14, 12; Plin. n. h. VII 30, 117; Cic. ad Att. II 1, 3; Plut. Cic. 13: *φανέντος ἐν τῷ θεάτρῳ τοῦ Ὄθωνος ἐφυβρίζων ἐσύριττεν, οἱ δ' ἱππεῖς ὑπέλαβον κρότῳ τὸν ἄνδρα λαμπρῶς.*

[3]) De *prima*, *media*, *summa* (*ultima*) *cavea* cf Cic. de sen. § 48; Sen. dial. IX § 8.

[4]) Vitruv. V 6 §§ 2—3; Suet. Claud. 4 (s. f.)

scalae ascensum spectatoribus parabant. Et gratis quidem aditus populo a magistratibus dabatur, sed cuivis opus erat *tessera* [1]), in qua ei unum ex *sedilibus* (*foris*) assignaretur. Ceterum viri et feminae promiscue sedebant, quin etiam pueri admittebantur neque servi, qui dominos comitabantur, aditu prohiberi poterant [2]).

Verum enim vero ut Athenis, ita Romae iam illa ingenii vis, quae tot tamque praeclaras comoedias et tragoedias procreaverat, effeta sterilisque erat, cum tandem aliquando a *Pompeio Magno* a° 55 a. Chr. n. mansura theatri sedes posita est digna poetis eorumque operibus immortalibus. Nuper profecto (triennio ante) theatrum magnifice a M. Scauro aedili constructum et „scaenam triplicem in altitudinem trecentarum sexaginta columnarum", cuius scaenae ima pars e marmore, media e vitro, summa e tabulis inauratis erat, populus Romanus viderat [3]), sed hoc quoque temporarium erat et vix unum mensem in usu [4]). Tunc vero in campo Martio ad exemplum theatri Mytilenaei [5]) Pompeius novum marmoreum

---

[1]) Cf. Rich, Dict. des Ant. s. v., ubi tessera Pompeiis inventa depicta est, in qua haec leguntur verba: Cav. II, Cun. III, Grad. VIII, Casina Plauti. In gradibus singula sedilia *linea* erant distincta, cf. Rich. s. v. De *vomitoriis* aditum ad praecinctiones praebentibus, cf. Id. s. v.

[2]) De Augusti decretis, quae „ad spectandi confusissimum ac solutissimum morem corrigendum ordinandumque" pertinebant, cf. Suet. Aug. 44. Sed Augusti interdictum mox neglectum est et honor redditus gentium legatis, Id. Claud. 25; Tac. Ann. XIII 56; Ov. a. a. I 89 sqq.

[3]) De duobus theatris temporariis, quae alterum iuxta alterum posita circumagi et in amphitheatrum mutari poterant, cf. Plin. n. h. XXXVI § 116 sqq.; Curio, Caesaris amicus, in patris funebri munere (a°. 53) ea magno cum apparatu opibusque construxit, ut Scaurum superaret.

[4]) Plin. n. h. XXXVI 2, 5; 15, 115.

[5]) Tac. ann. XIV 20; Ascon. in Pis. 1; Plut. Pomp. 42, 52; Gell. X 1, 6—8; Vell. II 48; Dio C. 39, 38; Tert. de spect. 10. Sed pulpiti mansit forma, quae olim fuit, cf. p. 4 et Bethe p. 313—315.

exstruxit, cui Veneris aedem superposuit, ita ut per sedilium gradus simul ad templum surgeretur, sed in hoc quoque scaena lignea erat, quae saepissime incendio vastata [1]) est, velut Tiberio, Tito, Septimio Severo, Philippo Arabe, Carino, Diocletiano, Honorio et Arcadio imperantibus, sed theatrum semper restauratum [2]) etiam Ammiani' aetate „in decoribus urbis aeternae" erat [3]). Auctore Plinio cavea Pompeiani theatri, cum Scauri subitarium cepisset hominum milia octoginta, quamvis totiens multiplicata urbe tantoque maiore populo suffecit large quadraginta milibus, at secundum auctorem Curiosi urbis et Notitiae [4]) non plus septendecim milia spectatorum et quingentos octoginta cepit. Huelsenus tamen hunc quoque numerum exaggeratum esse neque theatrum Pompeii plus decem milia hominum potuisse capere putat [5]). Post scaenam porticus Pompeia constituta erat, quo populus imbribus repentinis coactus se recipiebat ex theatro, ubique etiam alias Romani ambulare solebant. In una ex exedris porticus erat statua Pompeii. Haec est illa curia Pompeii, ubi Caesar interfectus est.

Imperatore Augusto urbs duobus theatris novis aucta est, quorum *Marcelli* a° 11 a. Chr. n. eo loco, ubi aliquando aedes Pietatis erat, ad Tiberim contra insulam ab ipso principe dedicatum est, alterum *Balbi* non multum distans ab illo, biennio ante

---

[1]) Richter, Topogr. Rom. p. 227—228.

[2]) Si apud scriptores sermo est de theatri incendio, vulgo haec verba pertinent ad solam scaenam, quod dilucide apparet ex Tac. ann. III 72 collato cum VI 45.

[3]) Amm. Marc. XVI 10, 14.

[4]) Iordan, Topogr. Rom. II 555.

[5]) Bull. com. 1894, p. 321.

absolutum et consecratum est, cum Augustus modo ex Germania redisset, movitque omnium admirationem quattuor columnis ex onyche factis [1]. Theatrum autem Marcelli quattuordecim milia spectatorum et sescentos complectebatur, Balbi vero septem vel octo milia. Praesertim theatri Marcelli multa adhuc vestigia supersunt, quorum muri, qui caveam cingebant, et variae columnae pulchritudine insignes sunt [2]. Sed tempus est, ut transeamus ad scaenae ornamenta, de quibus supra iam pauca monuimus (p. 5).

In pulpito autem latiore quam profundiore posterior pars scaenae, spectatoribus adversa, in modum parietis ex tabulis erat composita [3] atque in tragoedia plerumque *aulae regiae* simulacrum praebebat. Tres in ea fores ad *proscaenium* aditum dabant, quarum mediae erant *valvae regiae* ipsius palatii, dextrae et sinistrae ad *hospitalia* ferebant. Ab utroque latere scaenae erant *versurae* oblique *procurrentes* , quarum dextra spectatoribus iter ad forum ferens, sinistra viam peregre ducentem indicabat [4]. Sed pluribus decoribus olim scaena non ornata fuisse videtur eiusque simplicitas tanta erat, ut Shakespearianae par esset. Iure tamen a Ribbeckio [5] dubitatur, num reapse, ut vulgo putant, haec scaenae condicio prisca et horrida usque ad C. Claudii Pulchri aedilis curulis tempora (a[m] 99 a. Chr. n.) servata sit, qui scaenam

[1]) Plin. n. h. XXXVI § 60; Richter p. 220—221.
[2]) De „ternis theatris" (Pompeii, Marcelli, Balbi) cf. Ov. a. a. III 394 (Brandt).
[3]) Serv. ad Aen. I 164.
[4]) Vitruv. V 6, 3; 8: „secundum ea loca (περιάκτους p. 14) versurae sunt procurrentes, quae efficiunt una a foro, altera a peregre aditus in scaenam"; Accius (fr. R.) Clutem. I, Neopt. VI.
[5]) Ribbeck, Röm. trag. p. 652.

varietate colorum adumbrasse primus dicitur [1]), cum antea constaret ex tabulis omni pictura vacuis. Nam iam tragoediarum scriptor Pacuvius ipse pictor fuisse traditur atque ad eandem aetatem pertinent multae tabulae pictae votivae, in templis suspensae [2]). Ergo veri simile est Claudium non primum parietem scaenae pingendum curasse (hoc enim iam ante eum factum), illum tamen ita de scaena bene meruisse, ut eius picturae essent omnium praestantissimae et maximam spectatorum admirationem moverent propter singularem naturae imitationem [3]). Quae si ita se habent, non nimis temerarium est statuere, id quod Vitruvius [4]) de tribus scaenae generibus docet, iam ad antiquiora tempora respicere atque eiusmodi scaenae decora, a *Mummio* ex Graecia Romam importata, iam ante Claudii aedilis aetatem a Romanis in theatro spectata esse. Scaena autem secundum Vitruvium aut *tragica* est praebetque simulacrum domus regiae, aut *comica*, ubi conspicitur aedificium privatum fenestris et solariis instructum [5]), aut *satyrica* locum aliquem arboribus, antris, collibus ornatum ostendens. Fabulae satyricae germanae apud Romanos non inveniuntur, sed scaena satyrica interdum Romanis usui fuisse videtur, velut in exordio Heauton Timorumeni, neque minus in nonnullis tragoediis, quales sunt Armorum iudicium, Prometheus,

---

[1]) Val. Max. II 4, 6.

[2]) Cf. Liv. XXXXI, 28, 8—10 (a^0 174 a. Chr. n.)

[3]) Plin. n. h. XXXV 7, 23.

[4]) Vitruv. V 8 (sive 6 § 9).

[5]) In comoedia palliata pro regia illa domo tragoediae tria erant aedificia privata, ex quibus pars posterior pulpiti constabat. Inter quae nonnumquam erat *angiportum* (Ter. Ph. 891), quod in scaenam vel viam ante domum exibat. Et fieri poterat, ut unum ex illis aedificiis frontem templi ostenderet.

Philoctetes. Tragicam autem scaenam in tragoediis esse adhibitam consentaneum est, sed fortasse etiam in Plauti Amphitryone et eiusmodi fabulis suppetivit. Sed contra probabile non est in tragoedia scaena comica opus fuisse.

De ipsa scaenae mutatione tres scriptores, Servius, Valerius Maximus, Vitruvius, nonnulla nobis tradiderunt. Erat scaena primo *ductilis*, nam tractis tabulatis hac atque illac species picturae nudabatur interior et ita scaena mutabatur. Sed postea (a° 79 a. Chr. n.) L. et M. Licinii Luculli aediles curules scaenam *versilem* vel *versatilem* addiderunt, quae maxime Graecis *περιάκτοις* similis erat. Nam subito tota scaena machinis quibusdam triquetris, quae versuras illas procurrentes (p. 12) contingebant, convertebatur et aliam picturae faciem ostendebat [1]). Ita simul tabulatis parietis trahendis et *περιάκτοις* convertendis diversa scaenae species pariebatur.

Initio dii in eadem scaena agebant, qua ceteri histriones, ut Plauti Amphitryo (v. 1143) docet, ubi Iuppiter haec verba dicit: „ego in caelum migro", videlicet stans in eodem pulpito atque actores humani. Postea tamen deus *ex machina*, ut aiunt, *pegmate* quodam usus cum crebris tonitribus, quae lapidibus in aera iaciendis effingebantur, in scaena apparere solebat [2]). Neque *exostra* [3]) deerat, qua scaena aliqua, quae intra parietes agebatur, spectatoribus ostendebatur, velut in Sticho et Mostellaria (cf. p. 5).

[1]) Servius ad Georg. III 24; Val. Max. II 4, 6; Vitruv. V 6, 8; Overbeck-Mau[4], Pompeii p. 170.

[2]) Paul. p. 57 M. *Claudiana tonitrua*; Poll. IV 130; Schol. ad Arist. Nub. 294; de *pegmate* cf. Iuv. IV 122; Suet. Ner. 12.

[3]) Poll. IV 129; Cic. de prov. cons. 14.

Nam fieri non potest, ut ea, quae ibi commemorantur, in via acta sint, sicut pleraque in comoediis, sed necesse est haec domi agi. Atque idem valet de nonnullis tragoediis, quales sunt Aiax et Philoctetes, in quibus sine dubio exostra opus erat. Aliae tragoediae descensu ad inferos egebant, qui in ultima parte vel margine pulpiti adstructus erat.

Anno demum 133 a. Chr. n. hereditate Attali *aulaeum* multis figuris pictum Pergamo Romam venit. Id exeunte actu humo surgebat sive tollebatur, ineunte premebatur [1]), unde Vergilius [2]) haec de theatro canit:

vel scaena ut versis discedat frontibus utque
purpurea intexti tollant aulaea Britanni,

ubi, eo quod aulaeum surgit, Britanni in eo picti ipsi videntur id tollere. Verum praeter aulaea postea *siparia* quoque in usu erant [3]), quae non tollebantur, sed ob scaenam ducta spectatorum oculis obsistebant, dum novus fabularum actus apparabatur et interea *tibicen* cantu consessum delectabat [4]) vel *mimus* in orchestram quasi *embolium* introducebatur [5]).

Diu populus sub divo spectavit ludos, solis radiis expositus. Primus Q. Catulus (a° 69 a. Chr. n.) Campanam imitatus luxuriam spectantium consessum *velorum* russorum umbraculis texit. Mox

---

[1]) Ov. Met. III 111—114; Hor. Ep. II 1, 189; Apul. Met. X p. 232.
[2]) Georg. III 25.
[3]) Donat. de com. VIII 8 „mimicum velum".
[4]) Plaut. Pseud. 573.
[5]) Cic. Sest. § 116; de prov. cons. 6, 14; Festus p. 326 M.; Plin. n. h. VII § 158.

Lentulus Spinther Apollinaribus ludis (a° 60 a. Chr. n.) *carbasina vela* super malos trabesque tenta theatro obduxisse fertur. Qui mali in muro, qui theatro, postquam lapideus factus est, circumdabatur, fixi erant, eorumque vestigia in foraminibus muri etiamnunc Pompeiis et Arausione exstant [1]).

Etiam ut nares spectatorum suavi odore tangerentur, *crocum* tritum cum dulci vino permixtum („liquidum crocum") in pulpitum fundere eoque per fistulas latentes alteque liquorem eiaculantes omne theatrum replere solebant [2]).

In scaena duas *aras* poni solitas esse Donatus [3]) refert, dexteram Liberi, sinistram eius dei, cui ludi fierent, sed in fabulis Plautinis et Terentianis modo unam aram in scaena esse positam Dziatzko [4]) demonstravit. Haec plerumque Apollini *ἀγυιεῖ* dedicata erat, interdum Dianae vel Veneri, si illae deae eo loco, quo fabula agebatur, magno in honore erant. Sed altera ara, quae deo, cui ludi fiebant, consecrata erat, non in pulpito, sed in alia theatri parte collocata fuisse videtur.

---

[1]) Plin. n. h. 19 § 23; Val. Max. II 4, 6; Lucr. IV 75, VI 109 (Munro).
[2]) Ov. a. a. I 104 (Brandt ad h. v.).
[3]) Don. de com. VIII 3.
[4]) Praefatio ad Phorm. p. 25.

II. DE HISTRIONIBUS.

a. DE DOMINO EIUSQUE GREGE.

Principio Livius Andronicus [1]) et Plautus „suorum carminum *actores*" erant: h. e. et *gregi histrionum* praeerant et in fabula, quam ipsi composuerant, primas partes agebant et cum magistratibus, qui ludos edebant, ipsi fabulae pretium pangebant [2]). Sed iam Plautus extrema parte vitae non ipse actor erat suarum fabularum, verum in eius locum T. Publilius Pellio successerat [3]). Et inde ab eo tempore poeta fabulam suam alicui *domino gregis* vendere solebat, ut Terentius L. Ambivio Turpioni, atque is et, ut partes variae bene agerentur, curabat et ipse de fabulae successu periclitabatur [4]). Cum fabula acta erat, plane domini gregis fiebat, cui, quantum volebat, in ea licebat mutare. Temporibus autem Ciceronis vulgo non novae fabulae in scaenam deferebantur, sed domini gregem suum veteres docebant ipsisque licebat eligere, quas accommodatissimas actoribus suis putarent [5]). Pompeius vero primus (a° 55 a. Chr. n.) in ludis suis celeberrimis fabulas, quae agerentur, eligens Sp. Maecio Tarpa artis arbitro usus est [6]) et aetate Augusti

---

[1]) Liv. VII 5, 8.

[2]) Grex etiam *caterva* dicitur praesertim in exitu fabulae (cf. Capt.), cum omnes actores vel unus pro omnibus spectatores alloquitur rogatque ut plaudant, cf. Cic. Sest. § 118.

[3]) Plaut. Bacch. 214; Stichus, didascalia; Leo, Plaut. Forsch. p. 74.

[4]) Ter. Heaut. prol. 1, 11, 43 sqq.; Hec. prol. 56 sq.

[5]) Cic. de off. I 114.

[6]) Cic. ad fam. VII 1, 1.

hoc exemplum in consuetudinem abiit[1]). In ludis votivis et extraordinariis muneris auctori concessum erat, ut ipse numerum fabularum agendarum statueret[2]).

Aetate Plauti per horas inter prandium et cenam fabula agebatur, ita ut non plus singulae fabulae cotidie in scaenam deferri possent, sed temporibus Ciceronis iam mane agi coeptum est[3]).

b. DE HISTRIONUM PARTIBUS.

Duo autem genera partium discernebantur, quorum in altero histrioni opus erat voce valida, cum longae et acres orationes habendae essent, in altero potius gestibus studendum erat, cum canticum ageretur (cf. p. 28). Ceterum, ut alibi demonstrabimus, et naturali quodam studio gestuum et personarum usu gesticulatio manus et digitorum totiusque corporis motus antiquis actoribus multo maiori curae erant quam nostris, et certa praecepta artis gestus agendi fuisse tam ex Ciceronis quam ex Quintiliani scriptis apparet[4]). Ad hoc voci exercendae et conservandae multum operae ab actoribus dabatur[5]) et comoedos saepe oratoribus futuris doctores non modo gesticulandi, sed etiam litteras verbaque recte pro-

---

[1]) Comm. Cruq. ad Hor. Sat. I 10, 38.
[2]) Cic. ad fam. VII 1, 2.
[3]) Plaut. Poen. 1224; Mommsen R. G. I[7] p. 887 ann.; Marquardt R. S. III p. 474.
[4]) Cf. c. II g. „de histrionum gestibus".
[5]) Iuv. VI 73; Mart. XIV 215.

nuntiandi fuisse traditum est[1]). Pronuntiabant autem non ita prorsus ut vulgus loquebatur, quod esset sine arte, neque procul tamen a natura recedebant, quo vitio periret imitatio, sed morem communis sermonis decore quodam scaenico exornabant[2]). Pronuntiatio ipsa, sicut gestus, modo citata modo pressa erat, quemadmodum locus et persona postulabat, sed plus affectus habebant lentiora, ita ut comoediae sermo citatior esset quam tragoediae[3]). Quare etiam inter partes *statarias*, quae quietae et tranquillae, et *motorias*, quae impetu quodam pronuntiandae et vehementiores erant, distinguebatur mediumque erat inter eas genus id, quod *mixtum* dicebatur[4]). Similis divisio est comoediarum: Plauti fabulae fere omnes ad genus motorium sive turbulentum pertinent, Terentii Phormio motoria, Heautontimorumenos stataria, ceterae mixtae sunt.

Non mirum est *monitores* quoque in scaena fuisse, qui histrionibus prima verba subicerent vel eorum memoriae deficienti succurrerent, etsi huius rei modo semel bisve mentio fit[5]).

Latini scriptores non, ut in Graeco dramate, tribus personis contenti erant, sed complures in fabulas introduxerunt et earum numerum nonnumquam magna multitudine *operariorum* auxerunt[6]).

---

[1]) Quint. I 11 §§ 1, 12; Script. H. A. Antoninus Philosophus (c. 2): „usus est magistris ad prima elementa Euphorione litteratore et Gemino comoedo".

[2]) Quint. II 10, 13; XI 3, 4.

[3]) Quint. XI 3, 112.

[4]) Cic. Brut 116; Ter. Heaut. prol. 36; Euanthus de com. IV 4; Don. ad Ad. prol. 24.

[5]) Fest. p. 138; Quint. X 7, 21: „quod est in primis frivolum ac scaenicum, (ut) verbum petant, quo incipiant". Et fortasse eandem rem designat Cic. Verr. V § 25.

[6]) Diom. G. L. K. p. 491, 2.

c. DE ACTORUM VITAE CONDICIONE.

Si verum est, quod Livius contendit[1]), *ludiones*, quos primos Roma conspexit, ex Etruria acciti erant. Mox vernaculis artificibus, qui eos imitabantur, quia „ister" Tusco verbo ludio vocabatur, nomen *histrionibus* inditum est. Sed illi vernaculi artifices, si Atellanarum actores excipias, non cives Romani erant, sed servi (Plaut. Cist. 785) aut perigrini Latini vel Graeci. Si quis dominus Romanus servum habebat, in quo indolem et facultatem ad fabulas agendas idoneam inesse putaret, hunc dabat magistro cuidam arte scaenica instruendum, et cum satis profecerat, eum domino gregis locabat. Sed etiam fiebat, ut dominus servi artificis cum domino gregis societatem iniret ea condicione, ut magister mercedis loco dimidiam partem lucri acciperet, quod ex servo erudito facerent, sicut Fannio Chaereae convenerat cum Roscio comoedo, cum is Fannii servum arte scaenica imbuisset. Eiusmodi servi erant magni pretii (velut HS VI) et saepissime libertate donabantur, nonnumquam instante populo[2]).

Aetate imperatoria merces histrionum appellabatur *lucar*[3]). Id tum solvebatur domino ex fisco in dies singulos ludorum publicorum, unde ille mercedem diurnam gregalibus tribuebat, reliquam partem sibi servabat[4]). Temporibus tamen liberae rei publicae

---

[1]) Liv. VII 2, 4.

[2]) Friedländer S. G. R. II p. 469, ann. 4.

[3]) Tac. ann. I 77; Suet. Tib. 34; Friedländer S. G. R. II p. 471; Paul. p. 119; Fest. p. 253 *pecunia*; Plut. quaest. Rom. 88.

[4]) Macrob. III 14, 13.

merces domino parabatur a magistratibus, qui ludos edebant, qui partim publico sumptu, partim de sua pecunia impensas tolerabant[1]). Actor mediocris, qualis erat Panurgus Fannii Chaereae servus, quotannis centena milia HS merebat, Roscius vero mercedem diurnam mille denarium, quotannis quingena milia HS accipiebat[2]). Sed Roscius post a^m 87 noluit ullam mercedem accipere et omnem quaestum laboris reiecit, populo Romano serviens, ut Cicero dicit, non sibi. Verum Aesopum, eiusdem artis studiosum, sed minus pecuniam aspernantem, ducenties sestertium reliquisse filio constat[3]).

Inter actores (dominos) erat *certamen*, quod *histrionale* appellabatur, et *palma* praemium erat victori[4]), cum inter poetas ipsos nullum tale certamen esset[5]). Neque deerant in cavea dispositi *favitores* vel *operae theatrales*, quibus pecunia a *divisoribus* distribuebatur[6]). Eorum erat huic gregi plaudere, illum exsibilare, quod saepe fiebat per *fistulam pastoriciam*[7]).

Praeterea actori, si magnopere placuerat, ab eo, qui ludos edebat, etiam *corollae*[8]) dabantur, quae ex tenuibus laminis argenteis vel aureis erant confectae[9]). Clarae sunt coronae illae solidae

---

[1]) Lange R. A. I p. 877.

[2]) Cic. pro Rosc. com. § 23, 28; Plin. n. h. VII 39, 128.

[3]) Macrob. l.l.

[4]) Plaut. Trin. 706; Ter. Phorm. 17; Ribbeck Röm. Trag. p. 670, ann. 125; Friedländer, S. G. R. II p 474. Dabat palmam magistratus, qui ludis praeerat, populo saepe actoribus suffragante, Macr. II 7, 13.

[5]) Hor. Ep. II 1, 107: „securus cadat an recto stet fabula talo".

[6]) Tac. ann. I 16 (Furneaux); Suet. Ner. 20, 26; Tib. 37; Plin. ep. 7, 24, 7; Friedländer S. G. R. II p. 474; Marquardt R. S. III p. 542; Ribbeck Röm. Trag. p. 669.

[7]) Plaut. Amph. prol. 67, 70, 83; Poen. prol. 39; Cic. ad Att. I 16, 11—12.

[8]) De vocabulo „corollarium" cf. Varron de l. L. V 178; Plin. n. h. VII 53, 185.

[9]) Plin. n. h. XXI 3, 5.

ex auro et argento, quas Crassus Dives aedilis curulis a° 211 a. Chr. n. histrionibus praemium victoriae dabat, quibus etiam addebat *lemniscos* aureos. Et Claudius, quem iam supra commemoravimus, lemniscos illos caelandos curavit *brattiis que* etiam *philyrae* actores donabat [1]). Ex his corollariis histrio sibi parabat summam pecuniae, qua manumitteretur, sed quamquam liber erat, tamen *infamis* manebat. Quod ut accuratius exponamus, res paulo altius repetenda est, nam status et condicio actorum cum origine ludorum scaenicorum arte cohaeret.

Anno 364 a. Chr. n., cum pestilentia Romam vexaret, inter alia caelestis irae placamina *ludi* quoque *scaenici* instituti sunt [2]). Tum primum Romam venerunt ludiones ex Etruria acciti (cf. p. 20), qui sine carmine, sine gestu ullo ad tibicinis modos saltantes haud indecoros motus more Tusco dabant. Eos èt iuvenes Romani, qui inconditis inter se iocularia fundebant versibus quorumque motus haud absoni a voce erant, èt vernaculi artifices scaenici (histriones), qui impletas modis saturas descripto iam ad tibicinem cantu motuque congruenti peragebant [3]), imitati sunt. Et cum annis plus centum post (a° 240 a. Chr. n.) Livius Andronicus primus fabulam Graecam Latine versam docuit, idem discrimen inter iuvenes Romanos et artifices scaenicos mansit. Nam Livius ipse servus manumissus suarum fabularum actor erat et ab histrionibus adiuvabatur, iuventus tamen Romana solas fabulas Atellanas agebat

---

[1]) Ibid. § 6. Fortasse olim pro corollis dabatur vinum, caro suilla, ficus cet., cf. Plut. Cat. min. 46.

[2]) Liv. VII 2, 4 sqq.; Val. Max. II 4, 4; Oros. III 4.

[3]) Liv. VII 2, 11.

neque id genus ludorum ab histrionibus pollui passa est. Itaque in Atellanis personatum partes agere neque dedecori neque infamiae erat [1]), sed quicumque civis Romanus histrio erat et artem scaenicam quaestui habebat, tribu movebatur neque dignus erat, qui in exercitu stipendia faceret [2]). Olim praetoribus omni loco et tempore etiam ius virgarum in histriones fuisse videtur, sed Augustus hoc ita imminuit, ut histriones extra ludos et scaenam immunes verberum essent. Ipse tamen nonnumquam graviter in eos peccantes contra mores vel delinquentes animadvertebat et Pyladem pantomimum ab urbe atque Italia summovit, quod spectatorem, a quo exsibilaretur, demonstrasset digito conspicuumque fecisset [3]).

At mala fama et existimatione temporibus liberae rei publicae et aetate imperatoria actores semper usi sunt, quamquam clarissimi eorum observantia virorum nobilium haud caruerunt. A Papiniano [4]) enim ea mulier [5]), quae „operas suas in scaenam locavit", in eodem genere ponitur atque illa, quae evitandae poenae adulterii gratia lenocinium fecit. Nec mirum, nam praetor auctore Ulpiano [6]) in edicto ait: „qui in scaenam prodierit, infamis est." „Scaena autem est, ut Antistius Labeo definit, quae ludorum

---

[1]) Festus p. 217[a]: „ius est iis (Atellanis) non cogi in scaena ponere personam, quod ceteris histrionibus pati necesse est", ex quo loco colligo histriones, si quem nominatim laesissent in scaena, coactos esse personam deponere et poenas dedisse, Atellanos hoc impune fecisse; cf. Auct. ad Her. II 13 § 19.

[2]) Liv. l.l.; Aug. de civ. dei II 13 = Cic. de rep. IV 10; Corn. Nep. praef. 5.

[3]) Tac. Ann. I 77; Suet Aug. 45. Animadvertendum est aetate imperatoria per histrionem saepe indicari pantomimum.

[4]) Dig. 48, 5, 10.

[5]) De mulieribus in scaenam prodeuntibus cf. Don. ad Andr. 716.

[6]) Dig. III 2, 2; Friedländer S. G. R. II p. 467.

faciendorum causa quolibet loco, ubi quis consistat moveaturque spectaculum sui praebiturus, posita sit in publico privatove vel in vico, quo tamen loco passim homines spectaculi causa admittantur." Sed alii iurisconsulti, velut Pegasus et Nerva filius, eos solos famosos esse responderunt, qui *quaestus causa* in certamina descenderent, et omnes *propter praemium* in scaenam prodeuntes. Et supra commemoratum est Roscium extrema parte vitae omnem artis mercedem abnuisse, quo facto ita se ab lucri sordidi maculis purgavit, ut L. Sulla dictator eum equestri ordine dignum ratus anulo aureo donaret [1]). Contra Decimus Laberius, eques Romanus, cum ipsius Caesaris rogatu mimum suum in scaena egisset, tamen in scaenam prodeundo ipse se ordine movit, sed restituit eum Caesar, cum donatum quingentis sestertiis et anulo aureo sessum ire in quattuordecim iuberet [2]). Et Caesarem imitatus Balbus quaestor ludis, quos Gadibus fecit, Herennium Gallum histrionem summo ludorum die anulo aureo donatum in quattuordecim sessum deduxit.

Sed postquam de vitae condicione actorum egi, ab hoc loco non alienum videtur de vita nonnullorum separatim disserere.

d. DE VITA NONNULLORUM ACTORUM NOBILIUM.

Plautum, cum Romam venisset, initio ipsum histrionem fuisse et in Atellanis partes Macci egisse non sine causa Leo [3]) ad exem-

---

[1]) Macrob. III 14, 13; Val. Max. VIII 7, 7; Plut. Sull. 36; Cic. pro Rosc. com. 6, 17; pro Quint. 25.

[2]) Suet. Caes. 39; Sen. contr. VII 3, 9.

[3]) Leo, Plaut. Forsch. p. 74; Plaut. Poen. prol. 54; Asin. 11; Hor. ep. II 1, 73.

plum *Livii Andronici*, qui suarum fabularum actor erat, provocans suspicatus est, sed ex quo Plautus fabulas Graecas Latine vertebat, eas aliis agendas dabat, ipse scaena se abstinebat. Illorum histrionum nemo nobis notus est nisi *T. Publilius Pellio*, qui primas partes in Sticho [1]) egit, cui tamen poeta in alia fabula [2]) vitio dat, quod male agendo Epidico fabulae nocuerit. Plura nobis tradita sunt de *L. Ambivio Turpione*, domino gregis et histrione, qui eo anno, quo Cicero [3]) sermonem de senectute habitum fingit, h. e. a° 150 a. Chr. n. [4]) nondum vita excesserat. Is non modo omnes Terentii fabulas egit, ut didascaliae docent, sed etiam Statium Caecilium poetam comicum „restituit in locum, prope iam remotum iniuria adversariûm ab studio atque ab labore atque arte musica" [5]). Caecilius enim, cum comoediae primum operam daret, multis conflictatus est difficultatibus, sed Ambivius perseverando ac strenue agendo effecit, ut Caecilii fabulae spectarentur et ubi cognitae essent, populo placerent [6]). Quoniam autem Caecilium circiter a^m 200 a. Chr. n. Romam venisse ibique post Plautum, qui a° 184 a. Chr. n. decessit, et ante Terentium, qui non ante a^m 166 a. Chr. n. comoediarum scriptor exstitit, fabulas docuisse constat [7]), veri simillimum est eum non multo ante a^m 180 a. Chr. n. ab Ambivio adiutum in

---

[1]) Cf. didasc. Stichi, quae fabula a° 200 a. Chr. n. acta est.

[2]) Bacch. 214: „etiam Epidicum, quam ego fabulam aeque ac me ipsum amo, nullam aeque invitus specto, si agit Pellio."

[3]) Cic. de sen. 14 § 48: „ut Turpione Ambivio magis delectatur, qui in prima cavea spectat, delectatur tamen etiam, qui in ultima, sic" cet.

[4]) Cic. de sen. 5 § 14.

[5]) Ter. Hec. prol. II 14 sqq.

[6]) Ibid. 20 sqq.

[7]) Cf. Teuffel R. L. G. § 106.

scaenamque reductum esse. Quo tempore Turpio hanc opem poetae amico ferre potuit, eo necesse est actorem, qui iam tantum apud spectatores valeret, non minus triginta annos natum fuisse. Quod si recte statuimus, eo anno, quo Cicero Catonem de senectute facit disputantem (150 a. Chr. n.), Ambivius Turpio iam sexagenarius erat. Eum non ita multo post aut scaena aut statione vitae decessisse suspicor, quia fabulae Terentianae, cum iterum vel tertium in scaenam referrentur, iam ab aliis, velut *L. Hatilio Praenestino* en *L. Minucio Prothymo* actae sunt [1]). Sed neque hi neque ipse Ambivius Turpio actione pares erant Roscio et Aesopo, Ciceronis aequalibus, quamquam Ambivii gestus una cum Roscii laudantur a Tacito [2]). Illi tamen duo re vera temporibus liberae rei publicae lumina scaenae Romanae fuerunt.

In Solonio, qui est campus agri Lanuvini, natus est patre servo Gallus, cui postea manumisso nomen datum est *Q. Roscius Gallus.* Cum esset in cunabulis, iam prodigia ad eius magnitudinem futuram pertinentia patri nuntiabantur. Noctu lumine apposito experrecta nutrix animadvertit puerum dormientem circumplicatum serpentis amplexu; quo aspectu exterrita clamorem sustulit. Pater autem Roscii ad haruspices rettulit, qui responderunt nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore [3]). Neque falsi vates fuerunt,

---

[1]) Cf. Hoffer, de personarum usu in P. Terentii comoediis, p. 15. Vide de Hatilio et Minucio etiam c. II *e.*

[2]) Tac. Dial. 20: „nec magis perfert (vulgus) in iudiciis tristem et impexam antiquitatem (oratorum), quam si quis in scaena Roscii aut Turpionis exprimere gestus velit".

[3]) Cic. de div. I 79; II 66; Plin. n. h. VII 39, 128; Schol. Bob. Or. V 2, p. 357; Diom. p. 489, 12.

nam ita aequalibus suis visus est perfecti actoris imago, ut unusquisque eorum vellet in suo genere quasi quidam esse Roscius[1]). Non modo in dissimillimis personis satis faciebat, sed et in comoediis et in tragoediis admodum placebat[2]). Verum praesertim cum aut in Plauti Pseudulo Ballionem illum improbissimum et periurissimum lenonem ageret[3]), aut in Ennii Telepho personam Agamemnonis tractaret[4]), summae admirationi erat spectatoribus. Laudabatur eius corporis forma, quae Q. Catulo, qui epigramma[5]) in eum confecit, „deo pulchrior" visa est. Sed cum ipse caput esse artis *decere* putaret[6]) idque unum esse, quod tradi arte non posset, eiusque gestus et decor oratoribus esset exemplo[7]), tamen animi ardor et impetus in actione haud deerat, et sive Ballionem, sive Antiphonem in Caecilii Synephebis patris exprobrationes ridicule imitantem[8]) agebat, numquam naturam ac veritatem neglegebat. Sed praeterea, quae venustas et elegantia in histrionis actione, in gestibus, in corporis bracchiorum manuum digitorum motibus desideratur, haec omnis accurate meditata in Roscio perfecta et

---

[1]) Cic. de or. I § 258; 130.
[2]) Cic. orat. § 109.
[3]) Cic. pro Rosc. com. § 20.
[4]) Cic. de or. III § 102.
[5]) Cic. de nat. deor. I § 79:

constiteram, exorientem Auroram forte salutans,
cum subito a laeva Roscius exoritur.
pace mihi liceat, caelestes, dicere vestra,
mortalis visus pulchrior esse deo.

[6]) Cic. de or. I § 132.
[7]) Cic. de or. I § 251; II § 233; pro Quint. § 77, 78.
[8]) Cic. de or. II § 242: „tibi ego, Antipho, has (arbores) sero, inquit. Seniumst quom audio."

absoluta inerat. Principio in comoediis erat citatior[1]), sed quo plus ei aetatis accedebat, eo tardiores tibicinis modos et cantus remissiores faciebat[2]). Ineunte adulescentia *non personatus* in scaenam prodire solebat, sed cum perversissimis esset oculis neque satis decore nisi parasitum posset agere, personis uti coepit[3]) itaque quod vultu exprimere iam nequibat, id voce actione gestu motu reddere et compensare coactus est. Ceterum constat Roscium et Aesopum Hortensio oratore causas agente in corona frequenter astitisse, ut a foro petitos gestus in scaenam ferrent[4]). Ille enim plurimum in corporis decoro motu repositum putabat atque gestus eius plus habebat artis, ut Cicero ait[5]), quam erat oratori satis. Nam etsi multa erant oratori cum histrione communia in actione, tamen illius gestum magis compositum esse oportebat et quae illi in corporis motu concessa erant, angustioribus finibus circumscribebantur. Quod discrimen Roscium non videtur fugisse: conscripsit enim librum, quo eloquentiam cum histrionia comparabat[6]) et utriusque artis discrepantiam indicabat. Et fama est Ciceronem cum eo contendere

---

[1]) Quint. XI 3 § 111.

[2]) Cic. de or. I 254; de legg. I 11; ad fam. IX 22, 1; pro Sest. 57. Ex his locis apparet illum „ad manum cantandi" morem a Livio Andronico institutum (Liv. VII 2, 10) non semper esse observatum, ut recte animadvertit H. I. Muellerus ad Liv. l. l. Cui astipulatur Friedlaenderus S. G. R. II p. 448: „allerdings haben die tragischen Schauspieler, die immer auch kunstgerechte Sänger sein mussten, oft (vielleicht sogar in den meisten Fällen) die Gesangspartieën behalten." Aliter censet Ribbeckius, Rom. Trag. p. 24, ann. 12.

[3]) Cic. de nat. deor. I § 79; Diomedes p. 489, 11 K. De tota hac quaestione vide, quae infra de personis disputavimus.

[4]) Val. Max. VIII 10, 2.

[5]) Cic. Brut. § 303.

[6]) Macrob. Sat. III 14, 11—14.

solitum, utrum ille saepius eandem sententiam variis gestibus efficeret, an ipse per eloquentiae copiam sermone diverso pronuntiaret [1]). Erat enim Roscius artis suae studio, quamvis ludicra haberetur, tantopere deditus, ut nullum umquam spectanti populo gestum, nisi quem domi meditatus esset, ponere auderet [2]). Idem discipulos suos, histriones futuros, quo ipse erat sollertior et ingeniosior, eo iracundius et laboriosius docebat neque quemquam discipulum, quem quidem probaret, reperire potuisse se dicere solebat, non quo non essent quidam probabiles, sed quia, si aliquid modo esset vitii, id ferre ipse non posset [3]). Etiam Horatii temporibus ab antiquitatis fautoribus doctus appellabatur [4]), et aetate imperatoria gestus eius histrionibus erat exemplo [5]). Paene usque ad mortem scaenae operam dedit, postremum fortasse anno 63 a. Chr. n., quo populus L. Roscio Othoni [6]) iratus, quod quattuordecim ordines in theatro equitibus tribuisset, ludos eius disturbavit prohibuitque, quominus senex histrio fabulam agere pergeret. Et cum proximo anno Cicero Archiam poetam defenderet [7]), Roscius iam paulo ante tota Roma lugente mortem obierat (62 a. Chr. n.).

In numero discipulorum eius erat *Eros* [8]), qui, antequam ei se

---

[1]) Macr. ibid.
[2]) Val. Max. VIII 7, 7.
[3]) Cic. pro Rosc. com. § 31; de or. I § 129.
[4]) Hor. epp. II 1, 82.
[5]) Tac. dial. 20; Fronto, ed. Naber p. 146: „ut si quis histrioniae studiosus Tasurci (Panurgi?) gestu potius quam Roscii uteretur"; Cic. de or. III § 102.
[6]) Cf. p. 9.
[7]) Cic. Arch. § 17.
[8]) Cic. Rosc. Com. §§ 29—32.

tradidit, e scaena non modo sibilis, sed etiam convicio explosus erat, deinde sicut in aram, in Roscii domum, disciplinam, patrocinium, nomen confugerat. Itaque perbrevi tempore, qui ne in novissimis quidem erat histrionibus, ad primos pervenit comoedos. Tantum magistri [1]) fama valebat. Neque minus notus est *Panurgus*, qui a C. Fannio Chaerea, domino suo, traditus erat Roscio erudiendus et iam eruditus magnam exspectationem et favorem secum in scaenam attulerat, quod Roscii erat discipulus, cum a Q. Flavio Tarquiniensi interfectus est [2]). Contra eodem tempore *Statilius* malus actor habebatur, cuius discipulos, etiamsi Roscium artificio superarent, adspicere nemo posset. Sed par Roscio artifex erat *Clodius Aesopus*, praecipue in tragoedia excellens, verum etiam in comoedia magnopere placens [3]). Erat actor fortissimus, voce praeclara, summa vi dicendi, tantoque ardore animi, ut nonnumquam eum ipsa actio a sensu mentis abstraxisse videretur [4]), denique tragoedus, cuius gravitas aliis exemplo esset. [5]). Decem annis minor natu quam Roscius erat, cui superstes fuit. Postremo a° 55 a. Chr. n. ludis Pompeii Sinonem agebat in Equo Troiano, sed tum vox eum defecit, cum iurare coepisset „si sciens fallo", ita ut omnibus aequum iustumque esse videretur eum de scaena

---

[1]) Roscius populo tam acceptus erat, ut, si quando aliquid minus bene fecisset quam soleret, homines dicerent: „noluit hodie agere Roscius" aut „crudior fuit", Cic. de or. I § 124.

[2]) Cic. Rosc. Com. §§ 29—32.

[3]) Cic. Sest. § 120; orat. § 109; Plin. n. h. IX 59, 122; X 72, 141; Plut. Cic. 5; Val. Max. IX 1, 2; Quint. XI 3, 111.

[4]) Cic. Sest. §§ 121, 123; de or. I § 259; de div. I § 80.

[5]) Hor. epp. II 1, 82.

decedere, et desinere ei per omnes liceret [1]). Biennio tantum ante in Teucro egerat Eurysacem atque vehementer moverat spectatores, multum ad Ciceronis exsulis fortunam miseram alludens. Praeterea Eurypylum in Hectoris Lutris, Atreum in Accii fabula, Agamemnonem in Iphigenia (in qua *Cimbro* [2]) partes Menelai datae erant) agens magnam pariebat laudem. Personam Eurypyli in proelio vulnerati gerens summae erat admirationi, cum in magno dolore, quamvis saucius, omnia de proelio explicaret Patrocli [3]). Idem multa cum arte canticum illud ex Andromacha partim remisse partim contente pronuntiabat [4]), sed sui ingenii haud ignarus non saepe Aiacem sibi elegit [5]) agendum.

Ceteri, quorum quidem novimus nomina, actores, qui postremis liberae rei publicae temporibus floruerunt, omnes fere tragoedi sunt atque alii in aliis partibus eminentes laudantur. Ita *Rupilius*, qui paulo ante Aesopum Cicerone puero fuit, magis gestu suo quam voce fretus, potissimum Antiopam tragoediam actitabat [6]). Anno 54 a. Chr. n. ludis Apollinaribus *Antiphon*, qui erat ante manumissus quam in scaenam productus, palmam tulit et praesertim in Ennii Andromacha spectatorum oculos ad se convertit neque quemquam ex ceteris histrionibus sibi parem habuit, etsi Cicero [7]) nonnulla reprehendit in voce et statura eius.

---

[1]) Cic. fam. VII 1, 1—2.
[2]) Auct. ad Herenn. III 21, 34.
[3]) Cic. Tusc. II § 38 sqq.
[4]) Cic. de or. III § 102; Tusc. III § 44.
[5]) Cic. de off. I § 114.
[6]) Ibid.
[7]) Cic. ad. Att. IV 15, 6.

In Accii autem fabula, quae Prometheus inscribitur, in qua Titan ille Iovi minatur aliquando fore, ut eum paeniteat regni superbi, *Diphilus* tragoedus in Pompeium petulanter invectus esse traditur hisce verbis:

nostra miseria tu es Magnus,

quae milies coactus est dicere. Atque etiam cetera totius theatri clamore recitavit, nam eius modi versus erant, ut in tempus ab inimico Pompeii scripti esse viderentur [1]). Quae facta sunt a° 59 a. Chr. n. ludis Apollinaribus, cum anno ante Pompeius cum Caesare et Crasso societatem illam inisset.

P. Cornelius Lentulus et Q. Caecilius Metellus Nepos consules a. 57 a. Chr. n. tam similes erant duobus histrionibus, qui tum in scaena spectabantur, ut Lentulus cognomen alterius, *Spintheris*, qui secundarum partium erat, acciperet, Metellus cognomen alterius, *Pamphili*, tertiarum accepturus fuerit, nisi iam Nepotis a malis moribus accepisset [2]).

Horatii aetate male audiebat *Fufius Phocaeus*, tragoediarum actor, qui, cum vellet Pacuvii Ilionam dormientem exprimere eique ad filii Polydori exsurgendum esset vocem, ebrius in scaena obdormiit, neque *Catieno*, qui Polydori agebat partes, clamitante: „mater, te appello" [3]), experrectus est.

Neque idoneus erat, qui Amphionis partes ageret, sed „mulione infantior" actor, cui idem nomen *Amphion* erat [4]).

---

[1]) Cic. ad Att. II 19, 2.
[2]) Val. Max. IX 14, 4; Plin. n. h. VII § 54.
[3]) Hor. Sat. II 3, 60 et Porphyrio ad h. l.
[4]) Varro, Sat. fr. XVII (*ὄνος λύρας*).

Temporibus Quintiliani maximi actores comoediarum erant *Demetrius* et *Stratocles*, qui diversis virtutibus populo placuerunt. Alter (Demetrius) deos et iuvenes et bonos patres servosque et matronas et graves anus optime, alter (Stratocles) acres senes, callidos servos, parasitos, lenones et omnia agitatiora melius; fuit enim diversa natura, nam vox quoque Demetrii iucundior, illius acrior erat. Demetrius manus iactare et dulces exclamationes theatri causa producere et ingrediendo ventum concipere veste et nonnumquam dextro latere facere gestus solebat, quod neminem alium nisi eum decebat, nam in haec omnia statura et mira specie adiuvabatur. Stratoclem cursus et agilitas et vel parum conveniens personae risus, quem non ignarus rationis populo dabat, et contracta etiam cervicula decebat [1]).

Hi sunt fere nobilissimi actores omnium, de quorum vita scriptores antiqui nobis memorabilia tradiderunt.

e. DE PERSONIS SIVE LARVIS.

Tragoediarum et comoediarum scriptores saeculi tertii et secundi a. Chr. n. fabulas suas ab histrionibus non personatis agi viderunt, quamquam eo tempore et Romae et in Italia larvae iam notae erant et Atellanae iam tum agebantur et semper actae sunt ab histrionibus personatis [2]). Sed cum versus illi incompti, qui Fescennini dicuntur, et alia carmina iocularia fabulis Graecis

---

[1]) Quint. XI 3, 178—180. His duobus Iuv. III 98—99 Antiochum et Haemum addit. De Antiocho nihil constat, Haemus etiam VI 198 commemoratur: „dicas haec mollius Haemo quamquam et Carpophoro."

[2]) Festus p. 217 s. v. personatus; Verg. Georg. II 385—389.

a Livio Andronico, Ennio, Naevio, Plauto, Terentio aliisque Latine versis cessissent, non statim actores earum personis, sed initio *galearibus* et *fuco* usi sunt, ita ut capillorum color indicium aetatis esset. Itaque senes albi, adulescentes nigri et cincinnati, servi rufi erant [1]). De feminis nihil constat, sed veri simile est actores, qui olim partes muliebres agebant, facie fucata, capillis cultioribus (ὄγκῳ), manibus gypsatis in scaenam prodisse [2]).

Sed praeterea ex nonnullis locis [3]) in Terentii fabulis apparet ei illas scribenti nondum actores personatos ob oculos versatos esse. Multis annis post eius mortem personarum usus in theatrum Romanum introductus est, sed quando et a quo hoc factum sit, id nobis explorandum est.

De hac re nobis duplex memoria tradita est. Apud Diomedem grammaticum [4]) haec legimus: „personis vero uti *primus* coepit *Roscius* Gallus, praecipuus histrio, quod oculis perversis erat [5]) nec satis decorus sine personis nisi parasitus pronuntiabat" Contra Donatus [6]) alios hanc rem novam instituisse commemorat: „personati *primi* egisse dicuntur comoediam *Cincius Faliscus*, tragoediam *Minucius Prothymus*," sed hoc loco erratum est a librariis et sine dubio nomina propria sedes inter se mutare debent,

---

[1]) Diomed. p. 489, 10 K.; Teuffel H. L. R. § 16, 13.
[2]) Varro, Eumenides fr. XLIII; Cic. ad fam. VII 6, 1.
[3]) Ter. Andr. 643, 839, 878; Phorm. 57, 210, 890; Eun. 670.
[4]) Diomed. l.l.
[5]) De oculis perversis Diomedes cum Cic. de nat. deor. I § 79 convenit.
[6]) Donatus de com. VI 3 (ed. Wessner).

ita ut primus tragoediam Faliscus, comoediam Minucius personatus egisse dicatur [1]).

Nobis difficile est hanc solvere quaestionem atque diiudicare, utri maior fides habenda sit, Diomedi an Donato, quod uterque locuples auctor est. Itaque Ribbeckius [2]) discrepantiam memoriae tollere conatus est ponendo Roscium unum ex grege fuisse, cui Minucius dominus praeesset, atque inde duplicem memoriam natam esse. Quae solutio quaestionis parum probabilis mihi videtur. non modo quod Donatus nusquam Roscii nomen refert, sed duobus aliis locis eundem Minucium ore involuto fabulas Terentianas egisse commemorat [3]), verum etiam quia non constat, quin etiam falsum est, ut infra demonstrabimus, Minucium et Roscium aequales fuisse. Ad hoc probandum ac simul ut aliam causam duplicis memoriae investigemus, opus est nos duos illos locos Donati in infima pagina laudatos accuratius considerare.

Donatus autem eadem opera et Minucii et Ambivii mentionem ibi facit dicitque eos „etiam tum" personatos fabulas egisse. Quid sibi volunt verba illa „etiam tum"? Haec tum demum intelleguntur, cum Donati aetate personarum usum sublatum [4]) memineris atque Donatum „etiam tum" h. e. aetate illorum histrionum larvas adhibitas

---

[1]) Id et alii viderunt et Chr. Hoffer, de personarum usu in Ter. com. p. 13. Cf. etiam p. 26.

[2]) Ribbeck, Röm. Trag. p. 661.

[3]) Don. praef. ad Eun. § 6: „agentibus etiam tunc personatis L. Minucio Prothymo L. Ambivio Turpione"; praef. ad Ad. § 6: „agentibus L. Ambivio et L. < Minucio Prothymo > qui cum suis gregibus etiam tum personati agebant."

[4]) Don. ad Andr. 716: „sive haec (Mysis) personatis viris agitur, ut apud veteres, sive per mulierem, ut nunc videmus."

significare voluisse statuas. Sed hi loci Donati aliquantum differunt a didascaliis Eunuchi et Adelphorum, in quibus Ambivius Turpio et Hatilius Praenestinus deinceps tamquam principes actores harum fabularum commemorantur, verum Minucii nomen deest. Dziatzko [1]) tamen in re obscura lucem attulit ostendens, eo quod plura actorum nomina in didascaliis occurrant, indicari non semel, sed saepius eandem hanc fabulam actam esse. Itaque statuendum est Terentii vivi fabulas in scaenam delatas esse ab Ambivio Turpione, qui a° 160 a. Chr. n. Hecyram agens iam senex erat [2]), post mortem Turpionis circiter a^m 150 a. Chr. n. [3]) Hatilium Praenestinum in eius locum successisse, deinde Minucium Prothymum gregi praefuisse [4]). Praeterea Donatum in praefationibus ad Eun. et Adelph. Ambivium et Minucium eodem tempore personatos egisse affirmantem errasse apparet [5]), cum fieri non possit, ut iam aetate Terentii Ambivius Turpio personatus egerit, sicut ipsae fabulae et cetera testimonia docent, et ad hoc Minucius multis annis post Ambivium vixisse videatur. Si licet hoc loco coniectura uti et utrique eorum, qui Ambivio successerunt, circiter vicenos annos, per quos quidem in scaena floruerint, tribuere, Hatilii spatium gloriae inter a^m 150 et a^m 130, Minucii inter a^m 130 et a^m 110 ponendum est.

---

[1]) Mus. Rhen. 20 p. 591 sqq.; 21, 68 sqq.

[2]) Ter. Hec. prol. 10.

[3]) Cf. p. 26.

[4]) Leo (Mus. Rhen. 38 p. 342): „dass Minucius Prothymus jünger war (als Hatilius) ist eine durchaus gerechtfertigte Annahme".

[5]) Cf. p. 35, ann. 3.

Sed alius locus memorabilis est in Ciceronis de oratore libris [1]), de quo nobis nunc agendum est. Ibi sermo a Catulo et Crasso habitus fingitur a° 91 a. Chr. n., quorum hic de gestibus et motibus oratoris praecepta dat, quos moderatiores et continentiores quam histrionis esse oporteat. Deinde haec subicit: „sed in ore sunt omnia. In eo autem ipso dominatus est omnis oculorum; quo melius *nostri illi senes*, qui personatum ne Roscium quidem magno opere laudabant." Itaque ex hoc loco patet eos qui a° 91 a. Chr. n. senes appellabantur, etiamtunc illius temporis memores fuisse, quo ore non involuto agebatur, cuius Crassus et Catulus non meminerant, nam si ipsi id tempus recordari potuissent, non provocandum fuit ad senes. Sed ex eodem loco Ciceronis non potest effici Roscium primum personis usum esse, verum hoc sequitur, ut senes ne in Roscio quidem, optimo histrione, personam probaverint. Porro si a° 91 a. Chr. n. de aliqua re sermo est, cuius senes meninerunt, viri mediae aetatis (Catulus et Crassus) meminisse non possunt, haec certe facta est quadraginta annis ante. Si enim pauciores anni praeterissent, Crassus et Catulus ipsi pueri eiusdem rei testes et spectatores fuissent. Quadraginta igitur annis ante a^m 91, h. e. circiter a^m 131 a. Chr. n., etiam ab actoribus non personatis agebatur, sed mox (fortasse decem annis post) nova consuetudo in scaenam introducta est. Haec omnia mirum in modum cum iis conveniunt, quae de aetate Minucii Prothymi supra [2]) disputavimus, quem inter a^m 130 et a^m 110

---

[1]) Cic. de or. III 221.
[2]) Cf. p. 36.

a. Chr. n. floruisse demonstrare studuimus. Ergo summopere inter se conspirant, quae Donatus et Cicero de primo personarum usu memoriae prodiderunt.

Accedit quod Roscius, qui a° 62 a. Chr. n. senex decessit [1]), circiter a^m 135 natus est [2]). Is igitur, si Donatus et Cicero vera rettulerunt, non rerum novator in rebus scaenicis exstitit (quod fieri non poterat ante a^m 115), sed puer iam in scaena histriones personis indutos agere spectabat.

Sed alia sunt, quibus fides Donati confirmetur. Nempe auctore Tacito [3]) post annum 130 a. Chr. n. novus ordo rerum in theatro Romano nascitur: „possessa Achaia Asiaque ludi curatius editi sunt" et luxuriae peregrinae cessit simplicitas prisca. Itaque probabile est eodem tempore, quo scaena et cavea theatri Romani ad Graecum exemplum correctae et ornatae sunt, etiam reliquum apparatum scaenicum, in quo personas, Romam venisse. Neque illae similes fuerunt iis, quae iam a Romanis in fabulis Atellanis adhibitae erant, sed maiore cum arte e ligno vel lino confectae, totum caput involventes [4]), ore modo distorto modo leviter aperto [5]),

---

[1]) Cf. p. 29.

[2]) Ribbeck, Röm. Trag. p. 673, ann. 145.

[3]) Tac. ann. XIV 21.

[4]) Gell. V 7, 2: „caput et os coperimento personae tectum undique unaque tantum vocis emittendae via pervium"; Phaedr. I 7, 1: „personam tragicam forte vulpes viderat"; Plin. n. h. VII § 185: „simulque personam eius diei acceptam intuens (sc. M. Ofilius Hilarus) coronam e capite suo in eam transtulit"; Lucian. Anach. 23, p. 904: *κράνη δὲ ἐπικείμενοι παγγέλοια κεχηνότα παμμέγεθες .... κράνη δὲ (τῶν κωμῳδῶν) πολὺ γελοιότερα*, Isid. Origg. X 119; Prud. adv. Symm. II 643 sqq.

[5]) Minime late os patebat in personis feminarum et adulescentium, ut picturae docent.

nullo alio foramine nisi oculi pupulae relicto [1]), capillis comptis, superciliis saepe erectis, denique tales quales vel in picturis Pompeianis vel in Terentii codicibus pictis aspicimus [2]), et non modo genus personarum comicarum a tragicis diversum erat, sed etiam in utroque plurimae species requirebantur [3]). Ergo Roma, ut a Magna Graecia et Campania formam pulpiti et Atellanas accepit, ita ab ipsa Achaia personarum usum ascivisse mihi videtur. Neque in hac re assentior viro doctissimo Oehmicheno [4]), qui Romanos „barbariae" accusat, quod aliquando histriones eorum sine personis fabulas egerint. Immo mihi videtur potius dolendum esse, quod Graecum morem secuti sunt, nam persona, nisi quod ore eius aperto actor facilius spiritum ducebat loquebaturque atque

---

[1]) Cic. de or. II § 193: „ut ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur".

[2]) Cf. de personarum generibus Poll. IV 33, 133, 143; Wieseler, Theatergebäude cet. Tab. V; Arnold (Verhandl. d. XXIX Innsbrücker Philol. Vers.) über antike Theatermasken p. 16—37; Overbeck-Mau[4], Pompeii p. 585, 153. Non magnum discrimen inter senum, parasitorum, servorum larvas est, sed Thrasonis militis persona in Eunucho similior est personis adulescentium, Wieseler, p. 75.

[3]) Quint. XI 3, 73—74: „itaque in iis quae ad scaenam componuntur fabulis artifices pronuntiandi a personis quoque affectus mutuantur: ut sit Aerope in tragoedia tristis, atrox Medea, attonitus Aiax, truculentus Hercules. In comoediis vero praeter aliam observationem, qua servi, lenones, parasiti, rustici, milites, meretriculae, ancillae, senes austeri ac mites, iuvenes severi ac luxuriosi, matronae, puellae inter se discernuntur, pater ille, cuius praecipuae partes sunt, quia interim concitatus, interim lenis est, *altero erecto altero composito* est *supercilio*, atque id ostendere maxime latus actoribus moris est, quod cum iis quas agunt partibus congruat"; Arnold l.l. p. 35; 27.

[4]) Oehmichen, das Bühnenwesen der Gr. und Röm. p. 250; Lucianus usum personarum, praesertim in tragoedia, improbat, de comoedia (*περὶ ὀρχ.* 29, p. 285/6) haec addit: *ἡ κωμῳδία δὲ καὶ τῶν προσώπων αὐτῶν τὸ καταγέλαστον μέρος τοῦ τερπνοῦ αὐτῇ νενόμικεν, οἷα Δάων καὶ Τιβίων καὶ μαγείρων πρόσωπα .... τὸ πρόσωπον* (*τοῦ ὀρχηστοῦ* pantomimi) *οὐ κεχηνὸς .... ἀλλὰ συμμεμυκός.*

(quod tamen Arnoldius negat) vox eius clarius sonabat [1]), nihil habebat, quo in scaena commendaretur. Praeterea apud Graecos larvarum usus, qui non minus quam ipsa comoedia et tragoedia arte cum Dionysi cultu cohaerebat eiusque cultores decebat [2]), aliquatenus necessarius erat propter parvum numerum actorum, quo fiebat, ut uni histrioni plures partes agendae essent. Sed apud Romanos maior erat numerus actorum neque ludi quidquam habebant commune cum cultu Bacchi [3]). Itaque non mirandum est temporibus Donati [4]) usum personarum in fabula palliata abolitum esse. In mimis autem Romani numquam iis usi sunt [5]).

Denique etiam alia res magni momenti ad novum morem inducendum fuisse videtur. Artifices scaenici, qui primi Romam venerunt, Livio et Tacito testibus [6]) Tusci fuerunt. Ab his sine dubio ad scaenam instituti sunt primi actores Romani vel Latini vel Umbri, qui aut servi erant et domino alicuius gregis erudiendi traditi aut iam ad libertinorum ordinem pertinebant, quales Publilius Pellio, Ambivius Turpio, Hatilius Praenestinus — omnia nomina vere Latina. Sed cum Asia et Achaia subacta ingens praeda Romam vecta esset, in ea etiam multos servos Graecos

---

[1]) Gell. V 7, Plin. n. h. 37 § 154: „chalcophonos nigra est, sed inlisa aeris tinnitum reddit, tragoedis, ut suadent, gestanda".

[2]) Wieseler, Theatergebäude cet. p. 40 ad Tab. V (initio); Arnold l.l. p. 18.

[3]) Nam comoedia Romana non nata est ex rusticorum ludis, quales describuntur: Verg. Georg. II 385 sqq.; Tib. II 1, 55; Macr. Sat. I 7, 31; 11, 48 (de *oscillis*); Prudentius adv. Symm. II 646.

[4]) Donat. ad Andr. 716.

[5]) Teuffel, H. L. R. § 9, 10; Quint. VI 3 § 29.

[6]) Liv. VII 2; Tac. ann. XIV 21.

fuisse consentaneum est, neque in illa „natione comoeda" [1]) numerum actorum parvum inventum esse veri simile est. Nam inde ab eo tempore non modo nomina Latina histrionum, qualia Roscius, Statilius, Rupilius, sed multo plura Graeca memoriae produntur, velut Aesopus, Eros, Panurgus, Antipho, Diphilus, Spinther, Phocaeus, Amphion. Deinde hoc notandum est alteri ex actoribus, qui primi personati egisse a Donato dicuntur, Graecum cognomen *Prothymi* fuisse. Itaque nonne multis testimoniis adducimur, ut eum natione Graecum Graecum morem in scaenam Romanam induxisse credamus? [2]).

At enim qui fit, ut Diomedes pro Minucio Prothymo Roscium dixerit novae consuetudinis auctorem? Hoc facile explicatu mihi videtur. Nova enim res, qualem Minucius induxisse dicitur, multos, ut opinor, offendit, sed ei sine dubio non collegae Graeci restiterunt, qui a patrio more non alieni erant, sed potius Romani, qui non minus vultu quam gestibus spectatores capere studebant. Roscius tamen, qui in pueritia hoc certamen histrionale viderat, primum cum scaenae operam daret, a partibus Romanorum stabat, deinde cum propter oculorum vitium personam sibi magno usui fore intellexisset, ad Graecos transfugit. Ita ille primus Romanus actor personatus egit et exemplo suo novum morem sanxit, quo factum est, ut Diomedi eiusve auctori magna gloria illius nominis famam veri reformatoris obscuraverit.

---

[1]) Iuv. III 100.
[2]) Leo, Mus. Rhen. 38, p. 342.

f. DE HISTRIONIS VESTITU.

Nunc quoniam de larvis disputavimus, ad reliquum vestis ornatum actoris transeundum est. Difficile autem est claram imaginem vestitus tragici et comici sibi ob oculos ponere, quia Pollucis et Donati indicia male inter se cohaerent et recentiores scriptores dissipata connectere supersederunt. Itaque opera danda est imprimis picturis Pompeianis et Terentii codicibus pictis, velut Vaticano 3868 et Ambrosiano H 75, ut iis imaginibus cum Pollucis Donatique indiciis comparatis speciem et formam tragoedi et comoedi cogitatione fingere studeamus.

Iam primum videamus de tragoedia. Vulgo aediles vestem *chorago* praebendam locabant [1]), quae antiquis temporibus simplicissima erat. Pro *cothurno* Graeco actores *crepidam* adhibebant, quae solea ab iis ad calceum ligneum vel e corio factum affigebatur. Rex nondum *syrmate* se induebat, sed *toga duplici* contentus erat. In fabula praetexta reges et imperatores Romani nimirum *togam praetextam* gestabant. Tunicarum autem color purpureus erat [2]), sed P. Lentulus Spinther (a° 57) scaenicos *argentatis choragiis* adornavit et anno ante M. Aemilius Scaurus aedilis gloriam ludorum suorum auxerat histrionibus *Attalicam vestem* h. e. vestem auro intertextam dando [3]). De nonnullis personis saepe in scaena spec-

---

[1]) Plaut. Pers. 159 sqq.; de *conductoribus* vestitus cet. cf. Id. Asin. prol. 3.
[2]) Val. Max. II 4, 6; Varr. de l.l. V 113.
[3]) Plin. n. h. XXXVI 15 § 115.

tatis Donatus [1]) nos certiores facit narratque quomodo ornari soliti sint. Velut Ulixes semper *pileatus* inducebatur, Achilles autem et Neoptolemus *diademata* gerebant, quia numquam sub imperio Agamemnonis fuerant, sed *sceptro regali* carebant, quod Agamemnon rex supremus manu sinistra tenebat [2]). *Chlamydati* erant milites et *syrmata* postea non solis regibus decori erant, sed etiam personis luctuosis, quales Thyestes et Antigone [3]). Sed postremis liberae rei publicae temporibus, cum scaena saepe militum armorumque tumultu streperet, contionibus frequentibus scateret, di de caelo descenderent, umbrae apparerent, Medea in curru iunctis draconibus veheretur, etiam lautitia vestis aucta est. Quanta magnificentia tum in scaena exhibita sit, fabula ab Horatio [4]) et Plutarcho [5]) tradita docet. Lucullus enim a praetore quodam rogatus, ut centum sibi commodaret chlamydas purpureas ad chorum militum vestiendum, domi quaerens non centum, sed duplicem numerum, quin etiam auctore Horatio quinque milia repperit. Et ludis Pompeii (a° 55) apparatus scaenicus tantus erat, ut eius „spectatio tolleret omnem hilaritatem" [6]). Nam populi admirationem movebant sescenti muli in Clytaemnestra, in Equo Troiano craterarum tria milia nec minus armatura varia peditatus et equitatus. Sed quae spectacula aetate Ciceronis solos homines

---

[1]) Don. de com. VIII 4, 5, 6.
[2]) Ov. am. III 1, 13.
[3]) Iuv. VIII 228 sqq.
[4]) Hor. epp. I 6, 40.
[5]) Plut. Luc. 39.
[6]) Cic. ad fam. VII 1, 2.

parum cultos delectabant, ea Augusto imperante etiam equitibus placebant. Audiamus Horatium [1]):

verum equitis quoque iam migravit ab aure voluptas
omnis ad incertos oculos et gaudia vana.
quattuor aut plures aulaea premuntur in horas,
dum fugiunt equitum turmae peditumque catervae.
mox trahitur manibus regum fortuna retortis,
esseda festinant, pilenta, petorrita, naves,
captivum portatur ebur, captiva Corinthus.

Sic tum iam spectacula degeneraverant et quantopore mimi et pantomimi aetate imperatoria praelati sint tragoediis et comoediis vix est monendum [2]).

In comoedia vero actor non cothurnis, sed *soccis* utebatur, qui aut calceis vel calceis dimidiatis aut crepidis soleisve similes erant [3]), ceterum vestitus pro condicione vitae, sexu, aetate varius erat. In universum statui potest in comoedia palliata eam vestem in usu fuisse, qua Graeci diebus festis induti erant [4]), etsi exempla diversi vestitus non desunt [5]).

---

[1]) Hor. epp. II 1, 187 sqq.

[2]) Friedländer S. G. R. II p. 448, 464.

[3]) Wieseler, Theatergebäude etc. p. 77. Apud Ter. Heaut. 124 Menedemo a servo socci *detrahuntur*; ergo calcei (*ἐμβάδες*) sunt et pariter in picturis videmus plerumque calceos vel calceos dimidiatos, qui partem modo pedis tegunt. Item apud Plaut. Pers. 124 parasitus et Trin. 720 miles soccis indutus est, quamquam *φόρημα στρατιωτικὸν* plerumque *κρηπῖδες* (crepidae) sunt, Poll. VII 85.

[4]) Cf. Bethe in praef. cod. Ter. Ambr., col. 53 sqq.; Wieseler, Theatergebäude etc. p. 63 sqq. ad Tab. V.

[5]) Vix opus est monere in comoedia palliata, ut in nova Graeca, nullum chorum fuisse, qui in vetere illa comoedia Aristophanis tam varie erat ornatus; nisi excipias *piscatorum* chorum in *proscenio* agentem apud Plaut. Rud. 290 sqq. et *fullonum* in togata Titinii v. 26 sqq. (fr. R. VIII).

Iam ordiendum nobis est a loco Donati [1]), quem postea aliis indiciis [2]) supplere et corrigere conabimur: „comicis senibus candidus vestitus inducitur, quod is antiquissimus fuisse memoratur, adulescentibus discolor attribuitur. Servi comici amictu exiguo teguntur paupertatis antiquae gratia vel quo expeditiores agant. Parasiti cum intortis palliis veniunt. Laeto vestitus candidus, aerumnoso obsoletus, purpureus diviti, pauperi phoenicius datur. Militi chlamys purpurea, puellae habitus peregrinus inducitur. Leno pallio colore vario utitur, meretrici ob avaritiam luteum datur."

Vestitus ille candidus *senis* videtur fuisse *tunica* (*χιτών*), cui *pallium* iniciebatur, quod multo cum sinu corpori circumfundebatur [3]). *Adulescentes* tamen magis decebat compositum pallium, sed plerumque erant chlamydati [4]), senes vero non nisi peregrinantes chlamyde utebantur [5]). Quod ad colorem attinet, Pollux fere cum Donato convenit [6]), sed in codice Vaticano tunica senum et adulescentium caerulea est, pallium luteum, et in Ambrosiano Antipho adulescens tunica rubra indutus est [7]). Verum

---

[1]) Don. de com. VIII 6.

[2]) Poll. IV 118—120. Etiam fidem habere picturis codd. Terentii Vaticani, Parisini, Ambrosiani, ut de ceteris taceam, nobis licet, quoniam imitationes sunt imaginum vere antiquarum, ut Bethius in editione Lugdunensi cod. Ambrosiani dilucide demonstravit, cf. Praef. col. 51 § 14.

[3]) Poll. IV 118: *κωμικὴ δὲ ἐσθὴς ἐξωμίς. ἔστι δὲ χιτὼν λευκὸς ἄσημος, κατὰ τὴν ἀριστερὰν πλευρὰν ῥαφὴν οὐκ ἔχων. ἄγναπτος κτέ.*

[4]) Ut Phaedria in Andria et duo advocati Hegio et Crito in Phormione; contra Chremes (Eun. 769) est palliatus.

[5]) Plaut. Merc. 912.

[6]) Poll. IV 119: *φοινικὶς ἢ μελαμπόρφυρον ἱμάτιον φόρημα νεωτέρων . . . καὶ πορφυρᾷ δ'ἐσθῆτι ἐχρῶντο οἱ νεανίσκοι.*

[7]) In Vaticani picturis novem colores, in Ambrosiani duo (ruber et caeruleus)

sitne etiam in hac re fides habenda picturis, admodum dubium est, quippe quae pedes quoque variis coloribus pictos ostendant [1]). Praeterea satis constat viros in rustico opere occupatos, ut apud Caecilium in Hypobolimaeo Eutychum adulescentem et apud Terentium in Heaut. Menedemum senem, *διφθέραις* vestitos fuisse [2]).

Servis autem erat *ἐξωμὶς* sive tunica, albi vel pulli coloris, cum una manica sinistra *(χιτὼν ἑτερομάσχαλος)*, cui fibula adnexum erat album *palliolum*, quod Graece appellabatur *κόσυμβος* sive *κοσύμβη* sive *ἐγκόμβωμα*, cum id vestimentum saepius a servis non humeris iniceretur, sed cinguli vel subligaculi instar medio corpori circumdaretur vel iis currentibus quasi balteus de collo penderet [3]).

„*Parasiti*," inquit Donatus, „cum intortis palliis veniunt."

---

discernuntur. De novem coloribus Bethius Ambr. praef. col. 10 haec annotat: „pictor usus est coloribus hisce 1 carnoso qui facies et manus tegat, 2 nigro ad crines imprimis pingendos, 3 cano in vestimentis et pedibus omnium servorum atque in palliis nonnullis et aulaeis, 4 caeruleo in tunicis et pedibus iuvenum senumque, 5 flavo in palliis et ut lignum exprimeret, 6 albo in mulierum tunicis et aulaeis, 7 rubro, 8 viridi, 9 fusco."

[1]) Senes adulescentesque in Vaticano pedibus caeruleis, servi pedibus albis sunt. Contra in Ambrosiano servi quoque pedes habent caeruleos. Sed cf. Catullum 61, 10: „luteum pede soccum".

[2]) Varro, r. r. II 11, 11; Poll. IV 119. Senes ab hac pelle appellantur *διφθερίαι*. Sed ne hoc quidem in picturis apparet.

[3]) In codicum picturis omnes tunicae manicatae sunt, cf. Bethe, Ambr. praef. col. 20, Wieseler, Theat. p. 76. De palliolo cf. Plaut. Epid. 194; Ter. Phorm. 844; Poll. VII 47: *ἡ δ' ἐξωμὶς καὶ περίβλημα ἦν καὶ χιτὼν ἑτερομάσχαλος.* Id. IV 119: *τῇ δὲ τῶν δούλων ἐξωμίδι καὶ ἱματίδιόν τι πρόσκειται λευκόν, ὃ ἐγκόμβωμα λέγεται ἢ ἐπίρραμμα.* Id. VII 67: *ἐπίρραμμα δὲ κωμικὸν ταινιῶδες, τὸ μὲν πλάτος κατὰ σπιθαμήν, τὸ δὲ μῆκος κατ' ὀργυιάν.* Etym. M. p. 349, 43 sqq.; Hesychius s. v. *κοσύμβη*, Dio Chrys. 72, § 1; Lorenz ad Plaut. Pseud. 738 (717).

Certe hoc interdum fiebat, velut in Captivis [1]), ubi Ergasilus „pallium in collum conicit eodem pacto ut comici servi solent," vel ubicumque parasitus quis ridiculus esse studet et *ἀμπισχνεῖται ἐπ' ἀριστερά* [2]), sed in universum illi pallium eadem ratione qua senes gestant. Ab Athenaeo [3]) duo genera parasitorum distinguuntur, quorum alterum est *τὸ κοινὸν καὶ κεκωμῳδημένον, οἱ μέλανες* (ut Phormio), alterum *σεμνοπαράσιτον* (ut Gnatho in Eunucho et Artotrogus in Milite). Color ille niger ad vestem, quae modo sordida, ut Cynicorum, modo nitida erat [4]), et ad faciem pertinebat, non ad capillos, qui cani et horridi ab Ausonio dicuntur [5]). Ut senes, praesertim qui patres familae sunt, *lituo* vel curvo baculo [6]) in scaena utuntur, ita parasiti *strigili* et *ampulla* conspicui sunt [7]).

Milites vero *chlamyde* purpurea erant ornati [8]) et machaera

---

[1]) Plaut. Capt. 779, 789; Epid. 194; Curc. 288; Sil. It. V 367.

[2]) Arist. Av. 1568; Artemid. III 24.

[3]) Athen. VI p. 237 b.; Poll. IV 147, 148.

[4]) Plaut. Pers. 123; Ter Eun. 242; Cic. pro Caec. 10, 27: „cui cognomen est Phormio, nec minus *niger* nec minus confidens quam ille Terentianus est"; Id. Phil. II § 15; n. d. III § 73.

[5]) Auson. Epist. XXII 9 sqq.: „canus, comosus, hispidus, trux, acribux (?), Terentianus Phormio, horrens capillis ut marinus asperis echinus" (Peiper p. 273). In codd. num capite calvo Phormio depictus sit, dubium est (Wieseler, Theat. p. 78).

[6]) Wieseler, Theat. Tab. XI 1, 3; Ps. Plut. de lib. educandis 4 D: *τάς γε μὴν καμπύλας τῶν ὑποκριτῶν βακτηρίας κτέ.*, Ter. Ad. 782. Sed raro baculum, et tum quidem rectum, in codd. pictis conspicitur, cf. Ambros. fol. XVI 2, XVIII 1, 68r, sed ibi sermo est de sene qui ex itinere rediit vel defessus est ambulando.

[7]) Poll. IV 120: *τοῖς δὲ παρασίτοις πρόσεστι καὶ στλεγγὶς καὶ λήκυθος.* Plaut. Stich. 230, Persa 124; Cod. Ambr. dep. fol. IV 1, XXVI 2. De parasitorum larvis, quae aures colaphis laesas, vultus hilariores exhibebant, cf. Poll. IV 148.

[8]) Plaut. Mil. 1423; Pseud. 735, 1139, 1184; Epid. 436; Rud. 315. Apud Terentium chlamydis non mentio fit, sed tamen in codd. pictis Thraso plerumque est chlamydatus.

vel hasta armati [1]), sed caput eorum in picturis non galea tegitur, id quod exspectes, verum *petaso* [2]) vel *pileo* [3]). Petasum autem etiam alii peregrinantes [4]) gerere solebant, sed huius usus exempla in codicibus pictis aspicimus nulla *Nautas* interdum caput *causia* induisse Plautus commemorat [5]).

Albae erant *matronarum tunicae* et *pallae*, interdum croceae, sed *meretrices lūteis pallis* utebantur [6]), et si divites erant, velut Thais illa Menandri, habebant tunicam ad talos demissam [7]). *Ancillae* erant *ἀναμπέχονοι*, *γυμνοῖς ποσίν*, *νόσφι κρηδέμνοιο* [8]), sed ancilla divitis meretricis gaudebat pallula [9]). *Puellis* autem fere *habitus peregrinus* erat, propterea quod, tametsi erant aliquando cives, maxima tamen ex parte pro exteris introductae sunt usque ad exitum fabulae. Color vestis illis *byssinus* aut *candidus*, velut Glycerio in Andria et sorori Thaidis in Eunucho [10]). Ceterum et forma larvarum et vestitu mulieres in codd. pictis proxime ad adulescentium similitudinem accedunt.

---

[1]) De machaera cf. Plaut. Mil. 5, Pseud. 1185, 735; Rud. 315; de hasta cf. Wieseler, Theat. Tab. XI 2 = Overbeck-Mau[4], Pomp. p. 585. Sed in textu Terenti et in codd. pictis machaerae et hastae nec vola nec vestigium est.

[2]) Plaut. Pseud. 735, 1186; Wieseler, Theat. Tab. XI 2.

[3]) Ambros. depictus fol. XXII 2, 17[v], 10[r] et passim in Eunucho. Interdum tegimentum simile est capiti turrito Cybelae.

[4]) Plaut. Amph. prol. 143.

[5]) Plaut. Mil. 1178.

[6]) Poll. IV 118—120: *ἡ δὲ γυναικῶν ἐσθὴς κωμικῶν κτέ.* Fallitur Donatus originem adiectivi „luteus" ducens a lŭto = limo; sed pigmentum est lūtum, cf. Tib. I 7, 46: lutea palla.

[7]) Varro Meleagris 302 (Non. p. 536 M.); „cum etiam Thais Menandri tunicam demissam habeat ad talos."

[8]) Plut. de sera num. vind. c. 12; Iuv. Sat. III 94 sqq.; Poll. IV 154.

[9]) Plaut. Truc. 271.

[10]) Poll. IV 120: *ἐσθὴς τῶν νέων.*

Lenones pallium varii coloris (ἀνθινὸν περιβόλαιον) gestabant, sub quo erat *tunica picta (χιτὼν βαπτός)* [1]), manu autem tenebant *scipionem (ῥάβδον εὐθεῖαν)* [2]).

Postremo quod *pauperibus* in comoedia „vestitum phoenicium" dari dicit Donatus, non sine causa Wieselerus [3]) conicit purpuram illam plebeiam ac paene fuscam ab eo significari.

g. DE HISTRIONUM GESTIBUS. [4])

Cum semel usu personarum inducto actor affectus suos vultu exprimere non potuit, etiam magis quam antea verba sua motu digitorum, habitu corporis, iactatione membrorum subsequi cogebatur, et imprimis motus manuum et digitorum Italis quasi innatus vel insitus erat. Eo omnes et animi affectus et voluntates significabant non modo domi et foris in sermone cotidiano, verum etiam in causis dicendis vel in fabula agenda. Itaque Romani severissimi erant iudices non solum vocis, sed etiam gestus histrionum, ac si paulum modo offensum erat in numeris vel modis vel motu, tota theatra reclamabant et peccantem actorem explodebant, quippe qui ne Aesopum quidem ferrent, si paulum irrausisset. [5])

---

[1]) Poll. IV 120.

[2]) Poll. ibid.; Plaut. Persa 816. Sed frustra quaeras scipionem in picturis codicum. De vestitu lenonis cf. Bethe, praef. cod. Ambr., col. 53.

[3]) Wieseler, Theat. p 80; Val. Max. II 4, 6; Cic. Sest. § 19; Plin. n. h. XVI § 77: „vaccinia . . . . Galliae vero etiam purpurae tinguendae causa ad servitiorum vestes."

[4]) Leo, Mus. Rhen. 38 p. 337 sqq.; Sittl, die Gebärden der Gr. und Röm. p. 199—211; 350—362 (= Quint. XI 3, 65—136).

[5]) Cic. Parad. 3, 26; de or. I § 259; III § 196; or. § 173.

Magnopere autem inter se cohaerent exercitationes oratorum et actorum, sed et Graeci [1]) rhetores et Romani [2]) eloquentiae magistri monent discipulos, ne nimis histriones imitando in scaenica vitia immoderati gestus incidant; quamquam optimus actor oratori semper fuit mansitque verae actionis specimen. Quintilianus autem via ac ratione exposuit, qui gestus oratorem decerent, verum passim in libro undecimo etiam actoris gestum attigit. Non omnes ille quidem partes gestus scaenici tractavit, sed satis multa de histrionum actione tradidit [3]), quae nobis liceat cum codicum Terentii picturis conferre. Ex hac comparatione dilucide apparet, sicut Bethius in praefatione cod. Ambr. depicti demonstravit, has picturas non nono demum saeculo p. Chr. n. fictas et factas esse, ut putat Sittlius [4]), sed eas tum esse imitando expressas ex tribus codicibus

---

[1]) Longinus, Rhet. Gr. I 311, 19.

[2]) Cic. de or. III § 220; ad Herenn. III 15, 26, Quint. XI 3, 89.

[3]) Quint. XI 3, § 89: „abesse enim plurimum a saltatore debet orator, ut sit gestus ad sensum magis quam ad verba accommodatus; quod etiam *histrionibus* paulo gravioribus facere moris fuit;" § 91: „cum mihi comoedi quoque pessime facere videantur, qui etiamsi iuvenem agant, cum tamen in expositione aut senis sermo, ut in Hydriae prologo, aut mulieris, ut in Georgo, incidit, tremula vel effeminata voce pronuntiant. Adeo in illis quoque est aliqua vitiosa imitatio, quorum ars omnis constat imitatione;" § 103: „est et illa cava et rara et supra humeri altitudinem elata cum quodam motu velut hortatrix manus. A peregrinis scholis tamen prope recepta regula *scaenica* est;" § 112: „itaque in *fabulis* iuvenum senum militum matronarum gravior ingressus est; servi ancillulae parasiti piscatores citatius moventur; § 123: „nam etiam complodere manus *scaenicum* est et pectus caedere;" § 116: „vitia quoque earum (sc. manuum) subicienda sunt, quae quidem accidere etiam exercitatis *actoribus* solent"; § 125: „in dextrum (sc. pedem) incumbere interim datur sed æquo pectore, qui tamen *comicus* magis quam oratorius gestus est;" VI 2, 35: „vidi ego sæpe *histriones* atque *comœdos*, cum ex aliquo graviore actu personam deposuissent, flentes adhuc egredi."

[4]) Sittl, die Gebärden der Gr. und Röm., p. 205.

pictis vetustioribus, quorum archetypus ad saeculum secundum p. Chr. n. pertineat [1]). Nam eum, qui archetypum scripsit et picturis ornavit, ipsum fabulas Terentii in scaena agi a personatis histrionibus vidisse putandum est: adeo antiqua indoles in picturis codd. Vaticani (3868 C), Basilicani (79 H), Parisini (7899), Ambrosiani (H 75), qui nono vel decimo saeculo scripti sunt, inest neque omnino evanuit in codd. Oxoniensi (F 2, 13), Leidensibus (Lips. 26, Voss. 38), Vaticano (3305), qui decimo vel undecimo vel duodecimo saeculo exarati sunt. Sed qui tum curam codicum pingendorum susceperunt, non amplius omnia quae in figuris exemplarium suorum aspiciebant, intellexerunt, velut ipsas larvas, galeam in capite militis — ex qua pileus factus est — strigilem in manu parasiti — quae evasit nonnumquam caduceus et postea hasta —, sed èt corporis habitum motumque èt gestum bracchiorum digitorumque accurate et diligenter expresserunt. Accedit quod magna similitudo obvia est inter has codicum imagines et picturas in parietibus Pompeianis inventas. Reminiscamur, ut unum exemplum afferam, illius scaenae [2]), in qua miles pileatus — nonnulli Pyrgopolinicem ex Plauti fabula vel Thrasonem ex Eunucho esse iniuria suspicati sunt — dextra manu hastam tenens res gestas suas iactare videtur, cum ad eum parasitus corpore contorto blandiens arrepit aspectantibus in posteriore parte pulpiti servis.

Itaque si gestum comoediae melius cognoscere cupimus, magni

---

[1]) Cf. Bethe, Ambr. col. 64 præf.
[2]) Overbeck—Mau[4], Pompeii p. 585.

momenti esse videtur, ea quae Quintilianus in libro undecimo de actione tradidit, componere cum picturis cod. Ambrosiani a Bethio emissi, cui ille etiam nonnullas imagines ex Vaticano (3868 C) [1]) et Parisino (7899) addidit. Nam ceteri codices picti, etsi indolem antiquam in picturis retinuerunt, ut supra dixi, tamen ab imagi-LIBUS vere antiquis iam tantopere recedunt, ut tutius sit eos a tribus illis seiungere.

Sed praeter Quintilianum et codices pictos Donati quoque commentarius multa continet, quae nobis usui sint ad gestum histrionis interpretandum. Is enim actores sine personis agentes in theatro spectabat, quare factum est, ut in annotationibus èt de vultu èt de gestu moneret lectores. Qui id non perspexit, Sittlius [2]), adductus est, ut Donatum solis rhetoribus commentarium suum destinasse crederet. [2]) Sed etsi non negandum est multa praecepta rhetorica in Donati commentarium inserta esse, tamen non pauciores restant annotationes, quae ad solam histrionis actionem respicere possint. [3]) Itaque in animo est, primum ea quae a Donato de gestu scaenico passim in commentario animadversa sunt quaeque v. d. Leo [4]) collegit, quantum fieri poterit, comparare cum figuris, quae ad eosdem locos similesve in cod. Ambrosiano Terentii appictae

---

[1]) Eius imago phototypa tota edetur a Francisco Ehrle, bibliothecæ Vaticanae praefecto.

[2]) Sittl, l.l. p. 203: „Donat schreibt also weder für Schauspieler noch nach Komikern, sondern als öffentlicher Professor der Rhetorik, weshalb er auch über die Miene Vorschriften giebt, welche doch für die maskentragenden Schauspieler keinen Wert hatten." Sed. cf. p. 35, ann. 4.

[3]) Cf. Karstenum, Mnem. XXXII p. 209—251; 287—322 (a° 1904).

[4]) Cf. p. 49, ann. 4.

sunt, deinde ex eodem codice eas picturas investigare, quae verbis Quintiliani illustrari possint.

1) *gestus abeuntis vel abituri*, Ad. 127 (I 2, 47): „ah, si pergis, abiero." Donatus: „et hoc *gestu abeuntis vel abituri* pronuntiatur." Ad hunc locum in Ambr. nulla pictura apposita est, sed conferenda est ad Eun. 213 (II 1, 7) in Parisino (Bethe, fol. XX 2) imago Parmenonis servi, qui laeva *κόσυμβον* tenens, dextram palmam femore tenus demittens digitis explicatis valedicenti similis est.

2) *gestus cogitantis*, Andr. 110 (I 1, 83): „sic cogitabam." Donatus: „ipsum *gestum cogitantis* exponit; est igitur *μίμησις*." Cum hoc loco compara picturam Parisini ad Eun. 46 (I 1, 1), ubi Phaedria adulescens ita secum reputans „quid igitur faciam" cet. indicem dextrae ad frontem porrigit ceteris digitis contractis (Bethe, fol. XIX). Eundem locum respicit Quintilianus (XI 3, § 182): „ut si in scaena dicendum: „quid igitur faciam" cet. hic enim dubitationis moras, vocis flexus, varias manus, diversos nutus actor adhibebit."

3) *gestus observantis*, Andr. 415 (II 5, 4): „ipsum adeo praesto video cum Davo: hoc agam". Donatus: „*hoc agam* in *gestu* est, nam est figura corporis *observantis*, quid agatur." Ad hunc versum pictor Parisini (Bethe, fol. XI[1]) Byrriam servum delineavit a laevo latere ceteros in priore parte scaenae agentes observantem, utrumque bracchium protendentem, cum manus *κόσυμβον* tenent, dextro pede prolato. Quem statum Quintilianus in oratore improbat (XI 3, § 124): „prolato dextro stare et eandem (eādem, Sittl) manum ac pedem proferre deforme est."

4) *gestus stomachantis*, Andr. 726 (IV 3, 11): „ex ara hinc sume verbenas tibi." Donatus: „τὸ „tibi" quasi *gestum* quendam et motum *stomachantis* habet, ut alibi (Heaut. 61) „nam quid vis tibi?" Fortasse ad haec verba admovenda est pictura, qua illustratur Andr. 872 (V 3, 1) in Parisino (Bethe, fol. XVII), ubi Simo senex in filium invehitur indicem dextrae terram versus porrigens. Quintilianus enim de illo digito (XI 3, 94): „is in exprobrando et indicando . . . valet et . . . versus in terram et quasi pronus urguet."

5) *gestus offerentis*, Phorm. 52 (I 2, 2): „accipe, em." Donatus: „et hoc cum *gestu offerentis* dicitur". Hic gestus, ut consentaneum est, a nostro in offerendo non differt, cf. picturam ad h. l. (Bethe, fol. 101^{v}).

6) *parasiti gesticulatio*, Eun. 232 (II 2, 1) „di immortales, homini homo quid praestat?" Donatus: „admirantis exclamatio est cum *parasiti gesticulatione.*" Eun. 274 (II 2, 43): „uro hominem". Donatus: „sibi hoc *gestu* et vultu *parasitico* dicit." Conspicientes Phormionis parasiti imaginem, qualis depicta est ad Phorm. 1004 (V 9, 15) in Parisino (Bethe, fol. XXVII [1]), ubi parasitus dextrum bracchium, quantum patet longitudo, protendens declamat „in Lemmo" cet., quid sibi velit illa parasitica gesticulatio, intellegemus, cf. Quint. XI 3, 118 [1]).

---

[1]) De Phormionis gestu etiam legenda sunt quae Donatus refert ad Ph. 315: „adhuc narratur fabula de Terentio et Ambivio ebrio, qui acturus hanc fabulam oscitans et temulentus atque aurem minimo inscalpens digitulo (quod signum est libidinis) hos Terentii pronuntiavit versus. Quibus auditis exclamavit poeta se talem cum scriberet cogitasse parasitum" cet. Cf. Dziatzko, Praef. Phorm. p. 46.

7) *gestus servilis*, Andr. 183—184 (I 2, 12—13): „astute". Donatus: „hoc et *gestu* et vultu *servili* et cum agitatione capitis dixit." „quid hic vult." Donatus: „more servili et *vernili gestu*." Ad. 567 (IV 2, 28): „hui perfortiter." Donatus: „*gestu servili* et nimis leviori personae congrue dictum est." Eun. 274 (II 2, 43): „ut falsus animi est." Donatus: „similiter et Parmeno secum *servili gestu*." Hic gestus servilis cum passim in codd. pictis obvius est, tum egregie observatur in imagine ad Heaut. 628 (IV 1, 15) in Ambrosiano (Bethe, fol. 37^{r}) appicta, ubi Syrus servus contracta cervicula, humeris allevatis, tergo curvato astat prope Chremetem dominum; cf. Quint. XI 3, 83: „humerorum raro decens allevatio atque contractio est; breviatur enim cervix et *gestum* quendam humilem atque *servilem* et quasi fraudulentum facit;" § 180: „contracta etiam cervicula."

Haec sunt indicia de gestu histrionis, quae in Donati commentario inveniuntur. Iam nunc imaginem phototypam Ambrosiani percenseamus, si in eius picturis status gestusque appareant, qui verbis Quintiliani illustrentur.

8) *gestus prologi* et gestus qui ei contrarius esse videtur. Ubi prologus appictus est, eum duobus digitis, indice et medio, manus dextrae erectis spectatores de argumento fabulae vel, ut apud Terentium, de certamine aliquo litterario docentem videmus, cf. Bethe, fol. VII^{1}, 23^{v}, 50^{v}, 76^{r}, sed praeter prologum etiam aliae personae hunc statum sibi sumunt, qui demonstrationi et narrationi valde accommodatus est, cf. fol. XX^{2}, 36^{v}. In illa imagine (ad Eun. 207; II, 1, 1) Phaedria adulescens Parmenoni servo iam iam abituro (cf. n^{o}. 1) praecepta dat, in hac (ad Heaut. 610; III

3, 49) Chremes ita respondet Syro: „pro Menedemo nunc tibi ego respondeo" cet. Qui status gestusque Quintiliano ob oculos fuisse videntur scribenti (XI 3, § 98): „binos interim digitos distinguimus, sed non inserto pollice, paulum tamen inferioribus intra spectantibus, sed ne illis quidem tensis qui supra sunt. Interim extremi palmam circa ima pollicis premunt, ipse prioribus ad medios articulos iungitur." Histrioni, qui hoc gestu prologi, ut ita dicam, agit, nonnumquam alter opponitur, qui eosdem duos digitos porrectos habet, sed conversa manu, cf. ad Andr. 28 (I 1, 1) fol. VII², qua imagine Simo fingitur iam dixisse servis: „vos istaec intro auferte, abite." Tum ad Sosiam se convertens pergit: „adesdum, paucis te volo." Simo autem gestu simillimus est prologo, Sosia autem manum habet conversam atque indicem mediumque digitum sursum conversos, dum rogat: „nempe ut curentur recte haec?" Ad hunc Sosiae gestum spectat, nisi fallor, Quintilianus XI 3, § 101: „nec uno modo interrogantes gestum componimus, plerumque tamen vertentes manum, utcumque composita est." Et hanc gestus eius interpretationem aliae imagines probare videntur fol. XI² et XIII², Andr. 432 (II 6, 1) et 581 (III 4, 1), etsi non omnes.

9) *narrantis gestum* appellare velim, si quis iunxit summum pollicem et indicem, quemadmodum Quint. (XI 3, 101) descripsit: „pollici proximus digitus mediumque, qua dexter est, unguem summo suo iungens, remissis ceteris, est et approbantibus et narrantibus et distinguentibus decorus," qualem gestum animadvertimus in Ambrosiano ad Eun. 730 (IV 5, 4), 739 (IV 6, 1), Heaut. 381 (II 4, 1), 562 (III 3, 1), Phorm. 615 (IV 3, 10) = fol. 8ᵛ, 9ʳ, 31ᵛ, 35ᵛ, 114ᵛ.

10) *gestus adulescentis secum colloquentis et fortunam suam querentis.* Frequentissimus hic gestus in codd. pictis est, praesertim initio alicuius scaenae, cum adulescens, cui minus Amor favet, prodit in pulpitum sortem suam infelicem miserans, cava manu vel pectus vel faciem petens, eo denique statu, cuius nobis in mentem venit legentibus Quint. XI 3, 124: „illud quoque raro decebit, cava manu summis digitis pectus appetere, si quando nosmet ipsos alloquemur cohortantes, obiurgantes, miserantes;" § 104: „quin compressam etiam manum in paenitentia vel ira pectori admovemus, ubi vox vel inter dentes expressa non dedecet: „*quid nunc agam?*" Loci codicis qui talem adulescentem spectandum praebent, sunt fol. IX[1] (Andr. 236; I 5, 1), XIX (Eun. 46; I 1, 1), 6[r] (Eun. 629; IV 2, 1), 28[r] (Heaut. 230; II 2, 1), 66[v] (Ad. 635; IV 4, 27), 85[r] (Hec. 361; III 3, 1), 103[v] (Phorm. 153; I 3, 1), 110[v] (Phorm. 465; III 1, 1), 112[v] (Phorm. 534; III 3, 1) [1]).

11) *gestus mulieris flentis vel lamentantis.* Si mulier in fabula nescit, quid agat, et dolore metuque oppressa est, utrumque bracchium extendere solet. In eo statu aspicimus Mysim (Andr. 236; I 5, 1; fol. IX [1]), Doriam (Eun. 615; IV 1, 1; fol. 5[v]), Sophronam (Phorm. 728; V 1, 1; fol. 117[v]), Myrrinam (Hec. 516; IV 1, 1; fol. 88[v]). Quem gestum Quint. XI 3, 114 non improbat: „manus sinistra numquam sola gestum recte facit, dextrae se frequenter

---

[1]) Nonnumquam senes quoque maerentes cava manu mentum petentes depicti sunt, cf. fol. IV[2], Ad. III 3, 1 (355).

accommodat, sive .... in latus utramque (palmam) distendimus" [1]).

Plura *genera* gestus in Parisino et Ambrosiano distinguere non potui, sed praeterea multae imagines reliquae sunt, in quibus status et gestus cernuntur digni qui accuratius explorentur. Nam etsi non ita frequentes sunt, ut genus aliquod constituant, tamen passim cum Quintiliani disputatione possunt componi. In iis explicandis ipsum ordinem codicis servabo.

Fol. IV[1] (Vaticanus), Eun. 771 (IV 7, 1) = fol. XXIV[1] (Parisinus) = fol. 10[r] (Ambrosianus). Est pictura illa figurarum plena, ubi Thraso miles cum parasito et servis impetum facit in aedes Thaïdis meretricis. A dextra Thaïs et Chremes adulescens conspiciuntur, qui intra domum sunt et recte in Ambrosiano ianua a ceteris separantur. Thais cubito dextro leavam manum supposuit movetque leviter manum dextram (cf. Plaut. Mil. 201, Pseud. 457), Chremes autem indicem dextrae tollit (Quint. XI 3, 94). In Parisino et Vaticano a laeva parte Thraso, indutus pileo pro galea, „post principia" versatur, cum Gnatho parasitus, qui ianuae proximus est, strigili armatus, aciem instruit. Si a laeva incipimus, conspicitur Simalio, ambabus manibus *κόσυμβον* tenens (quae figura in Ambrosiano minus expressa est), deinde Syriscus dextra minans lapidem [2]), tum miles; in principiis vero sunt Donax dextra vectem gerens, et Sanga laeva peniculum tenens, dextra alte supra caput

---

[1]) Non dissimilis est Davus, fol. XII[2], Andr. 489 (III 2, 9).

[2]) Rectissime Leo observavit (Mus. Rhen. 38 p. 340, ann. 2) laeva portari ea instrumenta, quae non usurpentur, dextra, quae statim usui sint.

sublata (Quint. ibid. § 112: „tolli autem manum artifices supra oculos, demitti infra pectus vetant;" §§ 103, 118). Pictor autem Ambrosiani parasito strigili adempta dextram eius modice sublatam, Sangam laeva *κόσυμβον*, dextra peniculum tenentem, Donacem dextra alte supra caput elata et partem modo vectis pinxit. Tum supra servorum capita apparent vestigia figurae, quae paene evanuit. In omnibus codd. a librario pleraque nomina, singulis personis superposita, sunt confusa. Quod attinet ad illam dextram supra caput elatam cf. fol. 3^{v}, Eun. 560 (III 5, 12); fol. XXI^{2}, Eun. 307 (II 3, 16).

Fol. $VII^{1\ et\ 2}$, Andr. prol. et 28 (I 1, 1). De gestu prologi iam supra (p. 55) disputavimus. Nunc restat ut ad eius pedes attendamus, nam non modo manum dextram porrigit, sed etiam pedem dextrum profert. De quo statu cf. Quint. XI 3, 124: „prolato dextro stare et eadem manum ac pedem proferre deforme est." In altera pictura habemus servum iuxta Sosiam admodum „dulice" astantem, cuius status omnino similis est ei figurae, quam Quint. ibid. § 125 depinxit: „male etiam in sinistrum pedem insistentium dexter aut tollitur aut summis digitis suspenditur." Fol. XIV^{1} et XV^{1} Davus in dextrum pedem incumbit suspenso laevo.

Fol. X^{1}, Andr. 338 (II 2, 1). Initio huius scaenae Davus prodit exclamans „di boni, boni quid porto?" habetque dextram manum ita extentam, ut similis sit gestui a Quint. XI 3, 100 depicto: „est admirationi conveniens ille gestus, quo manus modice supinata ac per singulos a minimo collecta digitos, redeunte flexu, simul *explicatur et convertitur*."

Fol. $XIII^{1}$, Andr. 533 (III 3, 1). Animadvertendus est

dextrae motus Chremetis, plane congruens cum Quint. XI 3, 99: „interim quattuor remissis magis quam tensis, *pollice intus inclinato*, habilem demonstrando in latus aut distinguendo quae dicimus manum facimus."

Fol. XIV^2, Andr. 665 (IV 1, 44). Agit Davus utraque manu summissa, cf. Quint. XI 3, 114 „. . . sive satisfacientes aut supplicantes (diversi autem sunt hi gestus) summittimus" cet. Neque dissimilis est Geta, fol. 61^v, Ad. 448 (III 4, 2) et fortasse Pythias ancilla, fol. 11^v, Eun. 817 (V 1, 1).

Foll. XX^1, Eun. 99 (I 2, 19). Thaïs Parmenoni: „sicine agis, Parmeno", inquit. Ille bracchium dextrum exseruit, quemadmodum improbat Quint. XI 3, 118.

Fol. XXI^2, Eun. 307 (II 3, 16). Chaerea Parmenoni amorem suum puellae ignotae aperit: „amo" cet. dextramque explicatam supra frontem tollit, de quo gestu cf. Quint. XI 3, 103: „est et illa cava et rara et supra humeri altitudinem elata cum quodam motu velut hortatrix manus" (hortatrix, nam Chaerea ita pergit: „nunc, Parmeno, te ostenderis qui vir sies"). „A perigrinis scholis tamen prope recepta regula *scaenica* est." Similis est gestus eiusdem Chaereae fol. 3^v, Eun. 560 (III 5, 12) et Cratini advocati fol. 108^r, Phorm. 348 (II 3, 1).

Fol. 48^r, Heaut. 1035 (V 4, 12: „non, si ex capite sis meo natus") Chremes et fol. 58^r, Ad. 299 (III 2, 1) Geta frontem ferire videtur et nisi pictura nos fallit, fol. 107^r, Phorm. 315 (II 2, 1) Phormio femur ferit. Ad quas picturas admoveamus Quint. XI 3, 123: „femur ferire . . . et usitatum est et indignatos decet et excitat auditorem. Idque in Calidio Cicero desiderat; non

frons, inquit, percussa, non femur. Quamquam si licet, de fronte dissentio."

Fol. 108r, Ph. 348 (II 3, 1). De figura Cratini iam supra sermo erat, sed non minus dignus est qui notetur gestus Demiphonis placide disputantis, cf. Quint. XI 3, 84: „bracchii moderata proiectio, remissis humeris atque explicantibus se in proferenda manu digitis", et Getae, de cuius dextra cf. ibid. § 101: „pollici proximus digitus mediumque, qua dexter est, unguem pollicis summo suo iungens, remissis ceteris, est et approbantibus et narrantibus et distinguentibus decorus." Cf. p. 56, n°. 9.

Fol. 111v, Ph. 485 (III 2, 1). Phaedria et Antipho modeste agunt et Dorioni lenoni supplicant dextra paulum in obliquum conversa (p. 55/6), Geta autem servili modo totum inclinans corpus dextram paene ad pedes lenonis porrigit. Maxime tamen conspicuus ipse leno dextrum bracchium longe extendens in latus et superbe declamans „non audio." Cf. Quint. XI 3, 118: „at ut bracchio exserto introspiciatur latus cet. saepe scio evenire."

Sunt hae imagines, quas supra pertractavi, propter statum et gestum singulares et insignitae, multae tamen aliae insunt plus minusve illis similes vel dissimiles, quas omnes enumerare et describere necesse non erat. Et vix est monendum crebros esse status et gestus, qui apud omnes gentes idem sunt, quos natura non aliter alios docuit, velut si quis ab alio in scaenam ducitur (fol. XXII², Eun. 470, III 2, 16), vel si alter alterum consolans medium complectitur (fol. IX², Andr. 301, II 1, 1), vel si quis in ius rapitur eiusque os opprimitur (fol. XXVII², Ph. 985, V 8, 92), vel si amantes inter se osculantur et amplectuntur (fol. XXIV², Heaut.

405, II 4, 25). Ceterum lectores ad Ambrosiani imaginem phototypam et ad Album Terentianum [1]) a me editum delego.

h. DE VOCIS ET TIBIARUM CANTIBUS [2]).

Iam supra (p 28) rem musicam tetigimus monentes Livio auctore inde ab Andronici temporibus „ad manum cantari histrionibus coeptum" esse, h. e. histriones solo motu *canticum* egisse, cum id a puero ad *tibicinem* caneretur, sed tum simul demonstravimus hunc morem non semper omnes actores tutatos esse [3]). Verum non modo in canticis, sed etiam septenarios trochaicos et iambicos octonariosque iambicos recitanti actori tibicen aderat, atque idem ante fabulam initam tibiis canebat et inter singulos *actus* [4]) spectatores delectabat [5]). Senarios tamen vel *deverbia* actores pronuntiabant nulla tibia ad vocem adiuncta.

Modos autem faciebat non ipse poeta, sed servus aliquis, cuius nomen in fabulae didascalia commemorari solet, velut *Marcipor* in comoediis Plautinis, in Terentianis *Flaccus*, Claudii puer, operam

---

[1]) In hoc Albo numerus foliorum codd. Ambrosiani et Parisini (ed. Lugd.) in margine additus est.

[2]) Marquardt, RS III p. 523—524; Dziatzko, Mus. Rhen. XX p. 594 sqq.; praef. Phorm. p. 29—31.

[3]) Locus Hor. A. P. 154: „donec cantor „vos plaudite dicat" nihil mihi de hac re probare videtur, quoniam ibi „cantor" pro uno ex actoribus dictum videtur, sicut Porphyrio ad Hor. Sat. II 3, 60 Catienum appellat cantorem.

[4]) Don. de com. VIII § 11: „huiusmodi carmina ad tibias fiebant, ut his auditis multi ex populo ante dicerent, quam fabulam acturi scaenici essent." Plaut. Pseud. 573.

[5]) Antiquitus comici Latini non actus distinxerunt, sed intervalla in fabula actoribus statuenda permittebant (Don. praef. ad Ad. I 4*), post tamen fabula aetate Ciceronis in tres, deinde in quinque actus divisa est, Marquardt l.l. p. 522.

suam praestitisse dicitur. Idem fortasse ipse tibicen erat et modos suos *tibiis duabus* dabat, quae aut *pares* (= eiusdem longitudinis), aut *impares* erant sed soni concordantis. Earum, si impares erant, *dextra incentiva* vocabatur, quod modos monstrans praeibat, *sinistra succentiva*, quia subsequebatur [1]). Et cum etiam factum sit, ut *duae dextrae* inter se iungerentur, sinistrae tamen duae non separatim adhibitae esse videntur [2]). Quales *Sarranae* fuerint, an sinistris similes, non constat.

De indole autem utriusque generis tibiarum Donatus [3]) haec refert: „dextrae tibiae sua gravitate seriam comoediae dictionem praenuntiabant, sinistrae [Serranae] [4]) acuminis levitate iocum in comoedia ostendebant. Ubi autem dextra et sinistra acta fabula inscribebatur, mixtim ioci et gravitates denuntiabantur." Hic locus, qui non minus quam is quem infra laudavi, cum Dziatzkonis et Spengeli sententiis pugnans mentionem facit sinistrarum (pluralem volo), hoc saltem docet sonum dextrae graviorem et remissiorem, sinistrae leviorem et acutiorem fuisse. Et cum his verbis ea quae alibi [5]) ab eodem annotantur, conveniunt: „modulata (fabula) est

---

[1]) Varo, r. r. I 1 § 15: „ut dextra tibia alia quam sinistra, ita ut tamen sit quodammodo coniuncta, quod est altera eiusdem carminis modorum incentiva, altera succentiva".

[2]) Itaque facio cum Spengelio, qui sumit „tibiis paribus", idem valere ac „tibiis duabus dextris", „tibiis imparibus" nihil aliud esse nisi „tibiis dextra et sinistra". Sed Dziatzko putat, si tibiae pares sint, eas aut ambas dextras esse aut dextram cum sinistra iunctam, quam interpretationem probare nequeo. Contra Don. de com. VIII § 11: „agebantur (carmina) autem tibiis paribus, id est dextris aut sinistris, et imparibus."

[3]) Don de com. VIII § 11.

[4]) Serranae sive Sarranae (vetustior forma) = Tyriae, cf. Spengel Ad. p. 6; Andr. praef. VII; Rich, Dict. d. A. s. v. *tibia*.

[5]) Don. Ad. praef. I §§ 6—7.

tibiis dextris, id est Lydiis, ob seriam gravitatem, qua fere in omnibus comoediis utitur hic poeta; saepe tamen *mutatis* per scaenam *modis cantata*, quod significat titulus scaenae habens subiectas personis litteras M. M. C." [1]). Eiusdem modorum mutationis indicium invenitur in Heautontimorumeni didascalia, ubi legimus: „acta primum tibiis imparibus, deinde duabus dextris." Contra Andria, Eunuchus [2]), Hecyra totae actae sunt tibiis paribus vel duabus dextris, Phormio [3]) tibiis imparibus, Adelphoe Sarranis. [4])

Ceterum postea, temporibus iam Ciceronis et multo magis aetate imperatoria, „accessit numerisque modisque licentia maior": tibia orichalcho vincta erat tubaeque aemula, Liviani et Naeviani modi flexionibus mollioribus et delicatoribus cedebant, denique tota ars musica ab antiqua illa simplicitate degeneraverat [5]).

---

[1]) Deverbia significantur litteris D. V.

[2]) De Eunucho Donatus a didascalia dissentit dicens eam tibiis dextra et sinistra actam esse (praef. I § 6.).

[3]) Sed Donatus ad Ph. praef. I § 6: „tibiis Serranis tota".

[4]) Stichus quoque fabula Plautina tibiis Sarranis tota acta est, ut didascalia docet.

[5]) Hor. A. P. 211; Cic. de legg. II 13 § 39; Quint. I 10 § 31.

INDEX NOMINUM ET RERUM.

actor 17.
actus 62.
adulescens 45, 57.
Aesopus (histrio) 30, 31, 41, 49, 67.
Ambivius (L. A. Turpio) 25, 26, 35, 36, 40, 54.
Amphion (histrio) 32, 41.
ampulla 47.
ancilla 48.
angiportum 13.
Antiphon (histrio) 31, 41.
ara 16.
Atellana (fabula) 3, 4, 23, 38.
Attalica vestis 42.
aula regia 12.
aulaeum 15.

βακτηρία 47.
balteus 9.
brattia 22.
Bucco 3, 4.

cantare (ad manum) 28, 62.
canticum 62.
cantor 62.
cantus 62 sqq.
Casnar 3.
caterva 17.
Catienus (histrio) 32, 62.
causia 48.
cavea 5, 6, 9.
certamen histrionale 21.
χιτών 45. χ. ἑτερομάσχαλος 46. χ. βαπτός 49.
chlamydatus 43, 45,
chlamys 45, 47.
choragium 42.
choragus 42.
Cimber (histrio) 31.
Cincius Faliscus 34, 35.
Claudiana tonitrua 14.
conductor 42.
corolla 21, 22.
cothurnus 42.
crepida 42, 44.
crocus 16, 67.
cuneus 9.

decoctor 9.
Demetrius (histrio) 33.
deverbium 62.
diadema 43.
διφθέρα, διφθερίας 46.
Diphilus (histrio) 32, 41.
diverbium = deverbium.
divisor 21.
dominus (gregis) 17.
Dossennus 3, 4.

ἐγκόμβωμα 46.
ἐμβάδες 44.
embolium 15.
Eros (histrio) 29, 41.
ἐξωμίς 46.
exostra 14.

fabula 17.
Faliscus cf. Cincius.
favitor 21.

fistula pastoricia 21.
Flaccus 62.
forum 12.
forus 10.
fucus 34.
Fufius Phocaeus (histrio) 32, 41.

galea 48, 51.
galear 34.
gestus 49 sqq.
grex 17.

Hatilius (L.H.Praenestinus) 26, 36, 40.
Herennius Gallus 24.
hilarotragoedia 1.
histrio 17, 20.
hospitalia 12.

infamis (histrio) 22.

κοσύμβη 46.
κόσυμβος 46.

Laberius 24.
larva 33 sqq., 38 sqq.
λήκυθος 47.
lemniscus 22.
leno 49.
lex (Roscia theatralis) 9.
linea 10.
lituus 47.
Livius Andronicus 5, 22, 25.
lucar 20.
ludio 20.
ludus scaenicus 5, 22.

Maccus 3, 4, 24.
manus, cf. cantare.
Marcipor 62.
matrona 48.
meretrix 48.
miles 47.
mimus 15.
Minucius (L. M. Prothymus) 26, 34, 35, 36, 37, 41.
modi 62.
monitor 19.

nauta 48.

Ofilius Hilarus (histrio) 38.
ὄγκος 34.
operae theatrales 21.
operarius 19.
orchestra 4, 6.
ornamenta (scaenae) 5.
oscillum 40.

palla 48.
palliolum 46.
pallium 46, 49.
palma 21.
Pamphilus (histrio) 32.
Panurgus (histrio) 29, 30, 41.
Pappus 3.
parasitus 46, 47, 54.
partes 18.
partes (statariae, motoriae, mixtae) 19.
pegma 14.
Pellio (T. Publilius Pellio) 25, 40.
περίακτοι 12, 14.
persona 33 sqq., 38 sqq.
personatus 33.
petasus 48.
philyra 22.
phlyaces 1, 3, 4.
φλύαξ 2.
Phocaeus, cf. Fufius.
pileatus 43
pileus 48.
Plautus 5, 24.
praecinctio 9, 10.
prologus 55.
proscaenium 7, 12.
Prothymus, cf. Minucius.
puella 48.

pulpitum 1, 2.

quattuordecim gradus (ordines) 4, 8.

ῥάβδος εὐθεῖα 49.
Rhinthon 1.
Roscius (Q. R. Gallus) 20, 26—29, 34, 35, 37, 38, 41.
Rupilius (histrio) 31, 41.

Sarranae (tibiae) 63.
scaena 1 sqq.. 12.
„ tragica, comica, satyrica 13.
„ ductilis, versilis sive versatilis 14.
scalae 1, 2, 4.
sceptrum regale 43.
scipio 49.
sedile 10.
senex 45.
Serranae, cf. Sarranae.
servus 46, 55.
siparium 15.
soccus 44.
Spinther (histrio) 32, 41.
Statilius (histrio) 30, 41.
Statius Caecilius 25.
στλεγγίς 47.
Stratocles (histrio) 33.
strigilis 47, 51.
syrma 42, 43.

Tasurcus (?) 29.
Terentius 5, 25.
tessera 10.
theatrum 1, 7.
theatrum Pompeii 10, 11; Marcelli, Balbi 11, 12.
tibiae 62 sqq.
tibicen 15, 62.
toga duplex 42, praetexta 42.
tunica 45, 48, 49.

valvae regiae 12.
velum 15, 16.
versurae procurrentes 12.
vestitus (histrionis) 42 sqq.
vomitorium 10.

Xanthias 3, 4.

ADDENDA.

Pg. 16 de *croco* cf. etiam Mart. Spect. III 8 (Friedländer).

Pg. 49, ann. 5 adde Front. (Naber) p. 147: „tragicus Aesopus fertur non prius ullam suo induisse capiti personam, antequam diu ex adverso contemplaretur pro personae vultu *gestum* sibi capessere ac *vocem*".

LL.H.
W1313s
193922
Author Wageningen, Jacob van
Title Scaenica romana.

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File"
Made by LIBRARY BUREAU